



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**

## **Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...**

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1720**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-6379**

# BIBLIOTHECA

*Historico - Philologico-*

## THEOLOGICA.

*Classis Tertiæ*

### FASCICULUS SECUNDUS.



*BREMÆ,*

---

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

---

Typis HERMANNI BRAUERI, JUN. MD CCXX.

V I R O

*Magnifico, ac summe*

*Venerando*

J O H A N N I

F R A N C I S C O

B U D D E O ,

Sacrarum literarum in in-

cluta Academia Jenensi

DOCTORI AC PROFESSORI

vere illustri,

NOSTRI, QUOD VIVIMUS, AEVI

DECORI,

De orbe Christiano, & omne ge-

nus, praecipue diviniioribus

disciplinis

cum voce, tum scriptis aetatem

laturis

BENEMERENTISSIMO,

Quan-

*Quartum hunc supra decimum*  
hujus

BIBLIOTHECAE  
FASCICULUM,

Ut & publicum aliquod  
observantissimi animi moni-  
mentum ac testimonium  
constituerent,

ET HUIUS IN SANCTIORIS DO-  
CTRINAE

augmentum unice suscepti laboris  
felices progressus

ENIXE COMMENDARENT,

D. D. D. Q.

EDITORES.

Con-

Continentur hoc fasciculo,

- I. Hermanni *van de WALL* Observationum Miscellanearum Δεξας p. 189.
- II. Theodori HASAEI ad illustrationem loci Col. I, 24. ἐπιμετρον p. 218.
- III. Theodori JANSSONII ab ALMELOVEEN Epistola ad Joh. D'OUTREINIUM, in qua multa S. scripturae loca illustrantur p. 230.
- IV. Jacobi HASAEI de inquinatis *Sardienfium* vestimentis ad Apoc. III: 4. Observatio p. 253.
- V. C. A. HEUMANNI refutatio narrationis de *Johanne* Apostolo in fervens oleum conjecto p. 316.
- VI. Johannis Danielis SCHRAMMII, delineatio vocum ארמא & ארמ ad mentem *Esaiae* XXIX: 1--8. p. 327.
- VII. Memoria Joh. Rodolphi RODOLPHI, Theologi Bernatis p. 361.
- VIII. Nova Theologico-Historico-literaria p. 366.
- IX. Jacobi ARMINII epistola ad Joh. Jac. GRYNÆUM inedita p. 384.
- X. Urpheda Christophori GUNDERMANNI p. 389.



cruce moriturum? §. 4. Non ex defectu virium §. 5. Non ex sententia Judicis. §. 6. An Judaei vi legis Mosaicae corpus ejus eodem die debuerint detrahere. §. 7. Ex eo elucet divinitas Christi. §. 8. Joh. XX, 24-27. An inde recte colligatur Christi pedes non fuisse perforatos. Hammondi & Clerici error. §. 9. *Eph.* II, 14. 15. Quid μεσσοτοιχον, Φεγγυμ. §. 10. *Col.* II, 14. 15. Haec commata non ad Christum, sed ad Patrem referenda sunt. Ἀπεκδύειν. §. 11. 12. *Ebr.* XII, 23. Deus Pater in hoc loco intelligitur, & ille dicitur non κριτης, sed Deus omnium, quod singulare Oecon. N. T. est privilegium. §. 13. 14. 15. De Ramiresii de Prado libro, quem Pentecontarchum vocat. Plagii reus est. §. 16. *Erasmii* sententia de libero arbitrio. §. 17. Locus *Col.* I, 24. Pontificii hoc loco abutuntur. Orthodoxorum responsio. §. 18. Nova loci interpretatio; Θλιψεις τῶν χειρῶν sunt afflictiones, quas Paulus Christi causa sustinendas habuit. Quod illustratur exemplis similis locutionis, & ex verborum nexu. §. 19. Difficultates vulgaris interpretationis. §. 20. Novae cum emphasi verborum bene convenit. Τεσημα. §. 21. Τεσηματα των Θλιψεων Pauli. §. 22. Πληρην. Ανταναπληρην. §. 23. 24. Nexus hujus commatis cum praecedenti. §. 25.

Observ. I. Ad *Luc.* II. v. 14. (a)

§. I.

**M**aximam Interpretibus paret difficultatem, in Hymno hoc Angelico, quod cum duo priora membra. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῶ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, copula sibi invicem jungantur, tertium membrum ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, abs-

(a) Confer de h. l. supra Tom. I. p. 713. sq. 883. & Tom. II. 1058. sq.

absque copula addatur. Tandem, quod nulum verbum copulativum in toto hymno appareat.

Nolo curiosius Eruditorum sententias conquirere, qui eas velit, adeat Doctiss. Bynaeum ad h. l. in libro de Nativitate servatoris.

Celeb. Lichtfootus in Comm. ad h. l. in ea est sententia, ultima verba absque copula cæteris addita, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, subjectum Enuntiationis; & quæ præcedunt, ut prædicata esse censenda.

Arrisit hæc sententia multis in hisce oris Eruditis, & inter illos Sagacissimo Viro Salvan Til, qui eam in Homilia ad h. l. egregie, ut solebat, exornavit, qui inspicere poterit.

Desiderabatur tamen exemplum ejusmodi constructionis ubi duo prædicata per copulam καὶ sibi juncta, subjecto in fine enuntiationis posito, præcedant. Statim quidem menti meæ se obtulerunt decantata hæc apud Latinos,

*Nobilitas sola atque unica, Virtus.*

*Varium & mutabile semper Fœmina.*

Sed ex Sacris L. exemplum petebatur. Occupato in explananda pro Concione Divi Pauli Epistola ad Colossenses, egregium se mihi obtulit exemplum Cap. III, 11. in fine

Ἄλλα τὰ πάντα καὶ ἐν πασὶ χριστῷ.

Observe subjectum *Christus* in fine, & quidem absque præpositivo articulo, ut εὐδοκία,

& hinc duo prædicata per copulam *vel* sibi invicem juncta, subjectum præcedentia.

Tandem, quod, ut in hymno, nullum verbum copulativum hic inveniatur.

Absentia verbi copulativi, satis frequens quidem est, incertos tamen Interpretes videtur relinquere, num in præsentis aut Futuro, copula sit supplenda.

*Ev ἀνθρώποις εὐδοκία,*

Quam Deus demonstravit mittendo Filio in mundum secundum promissiones Patribus factas, est vel erit, *Gloria in excelsis Deo, & Pax in Terra.*

Obs. II. ad *Luc. XXIII. vs. 2.*

§. 2. Quæritur, cur Judæorum Proceres Jesum coram Pilato accusarint, non tantum, ut perduellionis reum, qui Populum ad turbas excitandas incitarit, sed etiam, ut qui *prohiberet Cæsari Censum dare?*

Prius accusationis membrum veri speciem habebat, quod Jesus semper discipulis comitatus incederet, & undique turba ad eum conflueret; sed alterum nullam speciem veri habuit, quia Jesus & censum dederat, & edixerat, *Cæsari danda, quæ Cæsaris sunt.*

Hoc factum putem ob duplicem Personam, quam Pilatus sustinebat. Erat ille *Procurator*, ut eum *Tacitus*, sive *ἐπίτροπος* ut eum *Josephus* vocat, *Cæsaris in Judæa.* Ut *Procurator*,

rator, Cæsaris fiscum curare debebat nec sinere, ut ille detrimenti aliquid caperet. Tiberii enim fiscus erat, Principis, si quis quam alius, avaritiæ dediti. Sed erat Procurator cum potestate, quales in lapidibus Veteribus Procuratores & Præsides dicebantur, (a) cui Provinciæ cura commissa erat, quam pacatam conservare debebat.

Cum duplicem Personam sustineret, Judæi eum quasi movere voluerunt, ut ad utramque attenderet, nec Cæsaris fiscum, nec Provinciæ curam negligeret; hinc in Jesum, ut Majestatis violatæ reum, in rebus fiscali, & Perduellionis, severe animadvertendum esse.

§. 3. Nota interim etiam singularem Evangelistæ ἀκριβείαν, & quam exacte illi cum historia exotica conveniat; Notat enim, Judæos non dixisse Censum Romanis pendere prohibet, sed Cæsari. Nam Syria, cujus προσθήκη Judæa fuit, Provincia Cæsaris erat, non Populi Romani, hinc Syriæ & Judææ census non deferrebat in ærarium Populi Rom. publicum, sed in privatum Cæsaris, cui proinde Census pendendus erat.

Obs. III. ad Luc. XXIII. vs. 43.

§. 4. Jesum hisce verbis, ἄθην, λέγω σοι, σήμερον

N 3

με-

(a) PRAEF. CLASSIS BRIT, ET MOESIC. PROC. ET PRAESES ALPIUM. vid. Guth. de off. Domus Aug. pag. 703. edit. in 4to. Erat tamen Pilatus non proprie Præses, sed vice Præsidis Syriæ.

μερον μετ' ἐμῶ ἐσηϊεν τῷ παρεδεισω : Latronem  
 conversum certiores fecisse, eum in com-  
 munione Jesu, hoc ipso die cœlestis felicitatis  
 participem fore, ut ab aliis contra Pontificio-  
 rum παρερμηνείαν probatum, hic suppono.

Plena solatii verba hæc esse nemo inficias  
 ibit, sed omnia, quæ sub hisce verbis la-  
 tent, ad gloriam Servatoris nostri manife-  
 standam, non satis perspecta mihi videntur.

Sane pollicetur Jesus cœlestis Paradisi gau-  
 dia Latroni, & quidem, ut hoc ipso die, qui  
 dies ad finem vergebat, consequenda. Sed  
 nec Jesus, nec Latro eum consequi poterant,  
 nisi anima a corpore soluta esset. Hinc Je-  
 sus pronuntiat hoc ipso die eos ingentibus il-  
 lis doloribus & cruciatibus, quibus cruci af-  
 fixi infestabantur, liberandos & vitam cum  
 morte commutatuos esse.

§. 5. Ast quæritur unde hoc innotuerit Jesu?  
 Non ex corporû infirmitate, & virium ad vitam  
 ulterius tolerandâ, defectu: nam eos satis virium  
 habuisse, nec mortem, ex naturalibus causis,  
 tam cito præ foribus fuisse, ex ipso Servato-  
 ris cum Latrone colloquio satis confici pot-  
 est. Adde Jesum postea magna adhuc voce  
 clamasse, antequam spiritum reddiderit,  
 quod, non penitus fractas vires fuisse, sat pro-  
 bat. Tandem, quod Pilatus, cum Josephus  
 Jesu corpus ad sepulturam deposceret in ad-  
 mirationem raptus fuerit, eum tam cito ex-  
 spirasse, nec corpus Josepho concedere vo-  
 luerit nisi postquam a Centurione edoctus  
 fuisset

fuiſſet, Jeſum revera vitam cum morte commutaſſe, *Marc. XVI, 44.*

§. 6. Non ex ſententia Judicis, Præſidis Romani, nam ad crucem more Romano damnati, in cruce, fame, cruciatibus, extinguebantur, quod ad triduum aliquando extendebatur, antequam miſeram animam efflarent, manuum enim pedumque perforatio lethale vulnus non infligebat. Ne hiſ aliquid gratiæ datum fuit, aut peculiaris ſententia contra receptum morem lata, quæ dictabat eos ante veſperam enecandos. Hoc patet.

I. Ex Judæorum petitione, qui à Pilato petebant, ut crura cruci affixorum frangerentur, ad mortem accelerandam, ut cadavera ante ſabbathum illud magnum de cruce detraherentur, & terræ mandarentur, quod certe non expetiſſent, ſi ſententia dictaſſet, eos hoc ipſo die enecandos eſſe.

II. Ex eo, quod Pilatus in admirationem fuerit raptus Jeſum tam cito exſpiſſe, quod non accidifſet, ſi ex ejus ſententia hoc ipſo die enecandus fuiſſet.

Si quis urgere vellet hoc non more Romano, ſed Judaico peractum fuiſſe, quibus lex jubebat ut corpora de ligno pendentia ante veſperam detraherentur & terræ mandarentur, iis ſciat, Jeſum non Synedrii ſententia, ſed judicis Romani damnatum fuiſſe.

§. 7. Inſtabit aliquis Romanos Judæis

*νομιαν* concessisse, qua concessa, ex lege Mosaica corpora ante vesperam detrahenda fuissent, alit contrarium patet.

I. Si enim *αυτονομια* se eo usque extendisset, Pilatus id ultro largiri debuisset, nec opus fuisset ut Judæorum Proceres id ab ipso rogarent, quod tamen factum est.

II. Nec a Pilato petentes, ut corpora de cruce detraherentur, hanc legem allegant, aut ad *αυτονομια* provocant, sed aliam profus rationem dant, quia nempe *sabbatum instabat, & quidem magnum*. Joh. XIX, 31. Sed forsitan ex illa petitione quis colliget, in more fuisse Præsilibus Romanis concedere, ut cadavera cruci affixa, ante Sabbatum Festorum, si Judæi peterent, detraherentur, prout populo in festo Paschatis reum liberandum tradebant.

I. Hoc affirmanti incumbit probatio, sed nemo hoc facile probabit, nec ex petitione ipsa hoc colligi potest, sed potius contrarium.

II. Et si maxime hoc probaret, Jesus tamen certus esse non poterat hoc eum maxime locuturum. Unde enim scire poterat Judæorum Proceres adeo ei intentos, id petituros? Aut Pilatum adversus Judæos satis exasperatum, quia eum coegerant contra conscientiam Jesum condemnare, iis in hoc casu gratificaturum.

§. 8. Hinc elucet, eum hoc scire non potuisse,

uisse, nisi ex divina ejus omniscientia, quae potis erat, abstrusissima detegere, dies numerare & vitae terminum cunctorum mortalium perspicere.

Vide ergo gloriam Servatoris nostri, ubi maxime obnubilata videbatur, jubaris instar corruscantem.

I. Quam Benignum & Beneficum se praebet? opere ipso probantem se revera *Menachem* esse eumque ipsum, de quibus vates cecinere. *Pf. XLV, 3. Cant. V, 13. Jes. XLII, 3. L, 4.*

II. Quam egregie divinae Majestatis radios exserit, *omniscientiae*, qua suae & aliorum vitae terminum se exacte callere probavit: *Potentiae*, in propriam vitam. Cf. *Joh. X.* & in *Paradisi gaudia*, cujus claves ipse in manibus habebat.

Observ. IV. ad *Job. XX. 24-27.*

§. 9. Lepidus mihi videtur (a) Hammon-  
 N 5 dus

(a) Magis tamen erravit *Joh. de WESALIA*, Concionator *Wormatiensis*, qui saeculo vixit decimo quinto, quemque *Joh. Deckherus* in libro de scriptis ad *despotis* p. 96. cum *Johanne Wesselo*, *Groningano* paene confundit. Non ultimum sane locum ille inter testes *Veritatis*, qui ante *restauracionem* sacerorum vixerunt, meretur. Quod patet ex *paradoxis* ejus, quae in fasciculo rerum *expetendarum* leguntur, atque illo examine, *magistrali*, ut vocant, & *Theologicali*, quod *praesidentibus* *Magistris nostris* haereti-

dus & Cel. Clericus ad h. l. cum ex dictis  
 Thomæ, Nili *videro in manibus ejus fixuram cla-*  
*vorum, & mittam digitum meum in locum Clavo-*  
*rum; & mittam manum meam in latus ejus: nul-*  
*la mentione facta pedum ejus, & ex dictis*  
*Servatoris, infer digitum in manus meas &c.*  
 etiam nulla mentione facta pedum, conclu-  
 dere volunt, pedes Servatoris non fuisse per-  
 foratos, sed tantum manus. Imo crurifra-  
 gium adhibitum in Latronibus signum fuisse  
*manus, non pedes fuisse perforatos, utpote*  
*eum in finem patratum, ne cruce detracti,*  
*aufugerent, pedibus illæsis. Ita enim Cl.*  
 Clericus *ἡ εἰς τὴν πλεύραν μὲν. Non εἰς τὰς πο-*  
*δᾶς μὲν, quia Pedes clavis perforati non fue-*  
*rant, sed vincti, contra quam vulgo picto-*  
*res hodie, & statuarii existimant: Ideo et-*  
*iam recte observat Hammondus crura La-*  
*tronibus fuisse fracta, ne aufugere pos-*  
*sent, quod veritus nunquam fuisset Roma-*  
 nus

*reticæ pravitatis Inquisitoribus M. N. Gerhardo El-*  
*ten, & Jacobo Sprenger de Ordine Praedicatorum in-*  
*stitutum est Moguntiae, anno M. CCCC. LXXIX.*  
 quod ego sine loco & tempore, circa tamen, ut  
 puto, initia Reformationis editum possideo. In  
 eo interrogatur *vicefimo quinto. An prædicaverit pu-*  
*blice populo; Dubium esse, an Christus fuerit funibus cruci*  
*alligatus, aut clavis affixus. Fassus autem est, se di-*  
*xisse quod non habeatur in Evangelio passionis an cla-*  
*vis sit affixus, an funibus; credere tamen, quod cla-*  
 vis. T. d. H.

nus Procurator, si ingenti clavo per plantas adducto uterque pes cruci affixus fuisset.

Sed non attenderunt ad ea, quæ Luc. XXIV:39. 40. de prima apparitione Jesu narravit, ille enim liquido docet, Jesum discipulis suis, non tantum *manus*, sed & *Pedes* ostendisse, ut cognoscerent se Jesum esse. Quod sane non fecisset, nisi pedes ejus etiam perforati fuissent.

Et quod ad Crurifragium attinet, illud ex petitione Judæorum institutum fuit, ut corpora ante Sabbathum de cruce detrahi possent: Ad mortem ergo accelerandam, adhibitum fuit, non quod Pilatus veritus sit, ut fugam capesserent. Hinc cum milites Jesum extinctum vidissent, crurifragium non adhibuerunt.

Obs. V. Eph. II. vs. 14. 15.

§. 10. Elegans mihi videtur, illa Cl. Jacobi Gronovii Præceptoris olim mei in Græcis semper honorandi, in hunc locum Observatio, in dictatis M. SS. Communicavi eam ante annos aliquot cum Rev. Nyloë, qui ejus mentionem fecit in libro vernaculo, cui titulus *Schriftuyrlike Aanmerkingen* p. 273.

Observat Vir Clar.

I. Vocem *μεσότοιχον* apud Græcos in usu non fuisse, saltem apud Scriptores non inveniri. De Parietibus Aedium intergerinis vocem

cem μεσάυλιον usurpari; hinc ex compositione explicandum esse, *murus medius* loca dividens.

II. Deinde φράγμα significare non tantum, id quod separat, sed quod separando arcet, pro *Lorica* enim pinnis instructa, ad munendam urbem & castra à Scriptoribus Græcis sæpe usurpatur. Hinc μεσοτοιχῶν τῶν φράγμα. Usitata phrasi in N. T. *Intermedius murus arcens.*

III. Ad Templum Hierosolymitanum, ut vulgo creditur, murumque illum, qui atrium Judæorum ab atrio Gentilium separabat, Paulum haud alludere putat; sed ad duo oppida sibi cæteroquin arctissime juncta, muro tamen separata, vel divisa ita ut duo oppida omnino sint, quorum cives nihil inter se commune, quoad possessiones, jura, & privilegia, habeant, imo muro tanquam lorica a se invicem submoti sint, licet se contingant. Ad oppida Paulum respicere exinde patet, quia Gentiles hoc muro a civitate Judæorum submotos considerat, ἀπολωλεμένους τῆς πολιτείας τῆς Ἰσραηλ. vñ. 12. & muro diruto ut συμπολίτας τῶν ἁγίων.

IV. Rem omnem illustrat ex T. Livio C. XXXIV: 9. ubi ita Livius. *Emporiae duo oppida erant, muro divisa.*

- Unum Græci habebant - - -
- - Alterum Hispani - - -
- - Tertium genus Romani

Coloni ab Divo Cesare post devictos Pompeji liberos  
 adjecti. Nunc in corpus unum confusi omnes, Hispanis  
 prius, postremo & Græcis in Civitatem Romanam  
 adscitis &c.

„Terrarum Orbis duo oppida erant, muro  
 „(lege dogmatum in placitis, sive lege Mo-  
 „saica) divisa. Unum Gentiles habebant.  
 „Alterum Judæi. Tertium genus Christiani  
 „a Divo Servatore Christo, post devictos in  
 „cruce hostes, adjecti. Nunc in corpus  
 „unum confusi omnes, Judæis prius, postre-  
 „mo & Gentilibus in Civitatem Christianam  
 „adscitis.

Imo si Livium porro inspicimus, patebit,  
 murum, qui Emporias cingebat, munitum  
 fuisse, oppidaque nihil inter se communia  
 habuisse, imo cives unius oppidi contra ci-  
 ves alterius excubias egisse.

Præter Emporias aliæ etiam urbes fuerunt  
 muris divisæ. Tripolis in Syria. Imo ipsa E-  
 phesus. Forfan etiam ipsa Roma in primis in-  
 cunabulis.

Observ. VI. ad Col. II. vs. 14. 15.

§. 11. Omnes, quos hætenus consulere  
 licuit Interpretes, ea, quæ occurrunt, in no-  
 tatis commatibus ad Christum Dei Filium re-  
 ferunt, ut ab ipso peracta, cum tamen potius  
 Deo Patri adjudicanda sint, & revera ab ipso  
 patrata. Hoc manifestissimum est ex ipso  
 contextu, si modo rite inspiciatur, Attende  
 ad versus 12, & 13, Quis

Quisnam ille est, quem Deus per *ἐνεργείαν* suam ex mortuis suscitavit, Paulus dicit *αὐτὸν*, sane nemo alius, quàm Jesus Christus, si Jesus ille est, qui ex mortuis suscitatus, certe Deus ille, per cuius *ἐνεργείαν* Jesus ex mortuis suscitatus est, nemo alius, quam ipse Pater esse poterit: Si Pater ille est, qui Jesum ex mortuis suscitavit, sequitur, etiam Patri adscribenda esse omnia, quæ sequuntur; utpote participiis cum prioribus quam arctissime junctis; Quod eo magis se ostendit, si ad hæc verba vi. 13. attendamus. *ὁμᾶς συνζωοποίησε σὺν αὐτῷ*, cum quo Colossenses *vivificati* sunt? nonne cum Christo: hinc, qui eos vivificavit cum Christo, alius a Christo est, & quis? sane Pater ipse. Huic ergo etiam attribuenda omnia quæ sequuntur, *χαριστάμενος &c. ἐξαλείψας*, nam illud *ἐξαλείψας*, ut participium rursus sequentia cum præcedentibus, quam arcte connectit, imo deletio illa chirographi vi participii *ἐξαλείψας*, ut medium consideratur, per quod Deus Colossensibus peccata condonaverit. Certe deletio Chirographi ad Patrem pertinebat, non ad Christum. Christus praes erat, sed Pater ex œconomia salutis Creditor, jam vadis non est Chirographum delere, sed solvere, ast Creditoris hoc opus est, qui accepta solutione Chirographum delere debet. Hoc Pater facit cum Christus in cruce solvisset, tunc enim cum ipsa solutione conjunxit deletionem Chi-

Chirographi, postquam Jesus dixisset *Consummatum est.*

§. 12. Hinc sponte sequitur comma 15. ἀπεκδυσάμενος &c. etiam ad Patrem esse referendum, eumque esse, qui Principatus & Potestates vestibus spoliavit.

Hoc comma, ita verto. *Postquam Principatus & Potestates vestibus exspoliasset, eos etiam traduxit & de iis triumphavit per ipsum.*

Per αὐτὸν non intelligo, ut vulgo, crucem, sed ut in præcedentibus Jesum Christum. Deus Pater per Christum de Mag. & Potest. triumphavit.

Ne observatio excrescat in nimiam molem, & forsan alibi de hoc loco differendi occasio erit, hoc tantum monere volui, ex antiquis triumphi ritibus hunc locum esse explicandum, quod Paulus satis ipse monet, cum Triumphum mentionem faciat. Quis ignorat vestes olim insignia Imperii & Potestatis fuisse? Qui veste purpurea ex gr. spoliabantur, ut ab imperio & potestate, quam antea exercebant, dejecti considerabantur: Hinc triumphantes, Reges vestibus spoliatos & nudos, traducebant, eosque ut devictos & ab imperio dejectos ostentabant. Magistratus & Potestates mihi sunt Dii illi qui olim Israeli imperabant, sedentes in cathedra Moysis. Hostes Filii Dei facti & Ecclesiam ejus insectantes. Hos Deus Pater vestibus suis spoliavit, i. e. de solio deturbavit, eorum potestatem  
cessa-

cessare fecit & Ecclesiam N. T. ab ipsorum imperio liberavit. Et, ut tales eos traduxit, & de iis triumphavit per Christum Filium, cum ex mortuis non tantum suscitatus, sed etiam in cœlum receptus fuerit, conf. Ps. LXVIII. Nec quenquam morari debet verbum ἀπεκδύειν, ut significans se ipsum exuere. Sane hanc significationem admittit, sed non respuit aliam, etiam reddi potest per *spoliare aliquem vestibus, alicui vestes detrahere*. Ne excurram, ex nomine ἀπέκδυσις ab hoc verbo deductum, quod vs. 11- hujus cap. exstat, hoc manifestum, nam illa ἀπέκδυσις τῶ σώματος ἀμαρτίας ipsis Colossensibus non adscribitur, sed Christo, ejusque circumcissioni, per quam illis corpus peccati, quo vestiti erant, detractum est.

Observ. VII. ad Ebr. XII: 23.

§. 13. Verba Apostoli κερτῆ θεῷ πάντων vulgo vertuntur, *ad Deum judicem omnium*: Fa-teor sanam hanc versionem fundere sensum, nec Grammatica obstat, sed non facile ab ordine in verbis a Spiritu S. servato, recedendum esse, nemo inficias ibit. Hic ordinem verborum plane retinendum puto, & vertendum *ad Judicem Deum omnium*, i. e. ad judicem, qui Deus omnium est, ita elegantem enim & scopo Apostoli apprime convenientem sensum fundent,

Apostolus in eo est, ut privilegia Nov. T. præ V. T. in plenam lucem collocet. Hebræos edoceat in longe feliciorum statum esse ductos, quam in quo antea sub Vet. Oeconomia uerint. Postquam verbis emphaticis indicasset, quam horrendo apparatu Vet. Oec. fuerit initiata, unde & omnia sub Vet. Oec. horrida & perpetuum timorem incutientia, opponit iis felicissimam & suavissimam fidelium sub Nova Oeconomia conditionem, egregia eorum privilegia.

§. 14. In recensendis suavissimis N. Oec. privilegiis illud occurrit, quod *accesserint ad Iudicem, Deum omnium*. Ut hoc privilegium in plenam lucem collocetur, velim animadvertatur *Judicem Deum omnium* mihi esse Patrem, non Filium, Filius enim in sequentibus proponitur, ut *Mediator* N. Test. ad quem etiam accesserint Hebræi, Patrique potestatem iudicandi ex Oeconomia Personarum competere. Sed Iudex hic est justus, severus, qui peccata nec ferre, nec impunita dimittere potest. Ignis devorans, coram quo peccator consistere minime potest. Ad talem igitur Iudicem accedere, quid Homini peccatori terribilius esse potest? Hinc nascitur quæstio, quomodo Paulus accessum ad hunc Iudicem, ut insigne & suave privilegium gratiæ Hebræis, etiam peccatoribus, proponere potest? Hæc quæstio facile dirimi potest, si versio mea admittatur.

I. Cuilibet notura est, quod, cum summum numen se *Deum alicujus* dicat, ad foedus gratiae sit respiciendum, cujus promissionem hisce verbis enunciavit, *Ero Tibi Deus*. Sub quibus verbis omnia gratiae privilegia contineri nemo facile negabit, saltem summum numen se proponere, ut propitium, gratiosum, a quo omnia bona expectanda sunt. Hinc Judex Deus alicujus, est Judex gratiosus, propitius, a quo remissio peccatorum & jus vitae expectari merito potest.

II. Ita Paulus non simpliciter dicit Judex Deus, verum *Deus Omnium*.

Sub Vet. Oec. Jehovah, summum numen, erat Judex Deus Israelis vi Foederis, & ad eum Israelitae, ut propitium aliquo modo accederent poterant.

Ast talis accessus Israelitis tantum, non Gentibus permittebatur, Jehovah erat sub Vet. Oec. Judex, sed non Deus Gentilium. Gentes longe erant abalienati a Foederibus sive mavis, Testamentis Dei, imo Ἰσραηλῶν ἐν τῷ κόσμῳ justissimo Dei Judicis judicio. Lege enim Mosaica, ut μεσολοιχῶ τῆ Φεζύμῃ a civitate Judaeorum arcebantur, ob omnibus gratiae donis. Spes tamen erat: Summum Numen ipsorum aliquando Deum, eosque ad Deum foedusque gratiae admittendos fore.

Verum secundum vaticinia hoc expectandum non erat, nisi postquam Messias desiderium

rium omnium Gentilium adesset, & persoluto Lytro omnia consummasset, uti ex Ps. XXII. & Jes. LIV. Coll. LIII. &c. patet, proinde stante Oeconomia Veteri Jehovah Deus omnium esse non potuit.

Imo licet Deus Judæis propitius esset, ita ut Fideles post mortem in gloriam introducerentur, tamen quamdiu terris degebant, gratia cum severitate quadam mixta fuit, nec liber adeo ad Judicem, ut Deum eorum, accessus patebat. Lex enim illa, quæ Gentiles ab eorum communione arcebat, non sinebat, ut ipsi Israelitæ ad Deum accedere possent, nisi per Sacerdotes Filios Aaronis eorumque sacrificia. Liberque accessus ad Deum Patrem, est privilegium N. Test. qui Judæis non patebat nisi in communione Gentium, post dirutum murum arcentem, in cruce Christi, ut Paulus fuse docet. Eph. II. vs. 11. seq. NB. vs. 18.

§. 15. Cum itaque Paulus hic dicat Hebræos accessisse ad Judicem Deum *παιλων*. Per Deum *παιλων* intelligit Deum non Judæorum tantum sed & Gentilium, ex Novo Testamento. Hoc sane privilegium N. Test. est, Patrem esse Deum omnium, id & Paulus simili phrasi docet, *ΕΙς Θεός ὁ πατήρ παιλων*. Eph. IV: 6. Atqui Pater non potuit esse Deus omnium, nisi Filius lytrum solvisset, nisi ipsi ex asse satisfactum fuisset. Hinc *Judex Deus omnium est* Judex cujus justitiæ ex asse satis-

factum erat, ita ut Jure Deus omnium dei  
posset, apud quem nulla amplius severitas, sed,  
qui undique propitius erat.

Ad Judicem Deum omnium cum dicantur  
accessisse Hebræi ingens hoc privilegium erat,  
quippe qui a tali Judice petere vi satisfactio-  
nis Christi peractæ, poterant, ἀφεσις ἀμαρτιῶν  
& jus vitæ plenarium, atque ab eo expectare  
potentissimam contra omnes Hostes de-  
fensionem.

Obs. VIII.

§. 16. Laurentius Ranirez de Prado, li-  
brum anno ætatis suæ XXVI. edidit, cui ti-  
tulus πεντηκονταρχος &c. de quo libro Celeber-  
rimus Grævius tale judicium tulit, *Multa in-  
sunt erudita, sed sapit fastum Hispanicum, quod  
ultimum, inspicienti titulum (a) satis mani-  
festum erit.*

Plurimi ei plagii dicam (b) scripserunt,  
subreptum Sanctio doctissimo Jesuitæ librum  
hunc

(a) Integer libri titulus, quo nil stultius excogitari po-  
tuisse olim judicabat Morhofius in Polyh. T. I. L. I.  
c. 21. §. 48. hic est: Πεντηκονταρχος; sive L. Militum  
Ductor D. Laurentii RAMIREZ de PRADO, stipen-  
diis conductus; cujus auspiciis varia in omni literarum di-  
tione monstra profligantur, abdita panduntur, latebrae et  
tenebrae per vestigantur & illustrantur: Lepidum inter-  
ea errorem erravit, qui Catalogum, incomparabi-  
lis alias Bibliothecæ Sarrazianæ, quæ ante hoc qua-  
driennium Hagæ Comitum publica auctione distracta  
est, contexit, quando ibi pag. 85. p. 1. hunc librum

hunc cauffantes. Alii tamen eum ab hoc crimine absolvere tentarunt.

A Sanctio hunc librum non fuisse subreptum satis persuasus sum, sed tamen a plagii crimine absolvendus non est. Patris ejus est, aut saltem ex scriptis Patris compilatus. Nam pag. 117. edit: Antwerpianæ in 4to. citat *miscellanea Juris*, tanquam sua. Et diximus late in *miscellaneis juris verbo* summum jus. Sed *miscellanea hæc juris à Patre ejus conscripta, penes eum servabantur; In præfatione enim*

O 3 ad

inter rei militaris scriptores, titulo deceptus, adduxit. Ceterum ille in triga scriptorum, qui selectis Observationibus varia loca N. T. illustrarunt, quam ante hoc septennium in vicina Hamburgo, præcipuum ejus decus J. A. FABRICIUS, recudi fecit in forma octies dispersita, primum locum occupat. T. d. H.

(b) Primus, qui id fecit, quantum mihi constat Caspar fuit Scioppius, qui in Consultationibus suis de scholarum & studiorum ratione p. 55. inter Francisci Sanctii scripta, recenset ejus *Pentecontararium a Ramiresio alicubi interpolatum & editum*. Alii eundem foetum Balthasari de Cespedes, genero Sanctii & Praeceptorum Ramiresii putarunt adtribuendum. Neque, quoad hunc solum librum ei dica plagii scripta est, sed & quoad ejus in Martialem commentarium, editum Lutetiae Parisiorum 1607. in 4to in quo multa congesta esse, que ab aliis jam notata & observata erant, auctoribus celatis, pridem ab aliis observatum est. Vide Jos Scalig. Epist. 466. Thomasius de plag. liter. §. 530. Rader. ad Mart. L. I. ep. 67. Morh. Polyh. T. I. I. IV. c. 13. §. II. Placc. de Pseudon. Num. 1842. & 2211. la Crozii Viudic. script. Vet. p. 102. T. d. H.

ad Fratrem pag. 8. Ita scribit : *Habeo --- miscellanea quædam juris per ordinem Alphabeti propria PATRIS (heu quondam nostri) manu exarata & congesta.*

Observ. IX.

§. 17. Gratulantur sibi Jesuitæ, alique Pelagianisantes de consensu Erasmi in Articulo de *libero arbitrio*, sed desinant gloriari, si cum Epistola Erasmi ad Lud. Berum ex schedis Cl. Miegii in Fasc. IV. Class. II. Bibliothecæ hujus edita velint conferre, quæ Erasmus ad *Vivem & Melanchthonem* scripsit. Indicante Cl. Gurtlero in Instit. Theol. p. 271. l. 19. Epist. 22. ad Vivem ita scribit. *Ut ingenue dicam, perdidimus liberum arbitrium. Illic mihi aliud dictabat animus, aliud scribebat calamus.*

Eadem occasione ad Melanchthonem Epist. 3. Si constet *ratio conscientie*, nihil est, quod *metuam, quam libet, ut isti jactant, pusillanimis.*

Obs. X. ad Coloss. I, 24.

§. 18. Comma hoc Paulinum satis vexatum est, ab eo tempore, quo Pontificii satisfactiones humanas, aut Sanctorum pro Ecclesia inde exsculpere tentarunt. Quæritur enim, quid per *ὕσθηματα τῶν θλίψεων τῆς χριστῆ* intelligendum sit? deinde, quomodo Paulus Emphatico verbo *ἀνταναπληρῶ* affirmare queat se *ὕσθηματα* illa adimplere.

Sententiam Pontificiorum aut potius eorum *παρερμηνείαν*, nec quid illis reponant Orthodoxi, hic non transcribo, in omnibus enim Theologiae systematibus obvia sunt.

Paucis tamen monendum est, sententiam orthodoxam, huc vulgo redire. *Θλίψεις τῆ χειρῶν* esse afflictiones quas ipse patitur Christus, non quidem in propria Persona, sed in corpore suo mystico, nempe Ecclesia. Coll. Act. IX: 4. 2. Cor. I: 7. Hae afflictiones, procul dubio decreto Dei sunt circumscriptae, nec semper durabunt, habebit Ecclesia sua Halcyonia, & *καίρους ἀναψύξεως*.

Hae afflictiones per persecutiones Judaeorum jam initia habuerunt, suasque habent reliquias a Fidelibus adimplendas ad dies *ἀναψύξεως* usque: Et quia Paulus, principium Corporis Mystici membrum, multa gravia passus erat, & cum maxime patiebatur, captivus enim Cæsaris, Romae erat, eum rite dicere posse se *adimplere reliquias Θλίψεων τῆ χειρῶν*. Nolo hic multa congerere quae aut ad stabilendam aut evertendam hanc sententiam in medium produci queant, proferam tantum interpretationem, quae mihi longe simplicior, & phrasibus, scopoque Paulinis magis conveniens videtur.

§. 19. Cel. Clericus in arte Critica, vol. I. p. 395. contendit *Θλίψεις τῆ χειρῶν* significare afflictiones ipsius Pauli propter Christum, ejusque

ὁμολογίαν cui sententiæ subscribo, propter sequentes rationes.

κ. Quia Clericus satis probavit *Genetivum* in scriptis N. T. & apud Latinos aliquando *causam finalem*, propter quam res aliqua fit, aut pertertur, designari vides: 1. *Petr.* II:9. *Matth.* II:2. astrum *αυτης*, pro astro, quod Christi causa ad ejus nativitatem indicandam apparuerat. Addatur id etiam apud Hebræos obtinere, sic *Jer.* L: 28. *Vindicta Templi* pro vindicta ab hostibus propter destructum Templum sumenda. &c.

ζ. Quod Paulus cum suis afflictiones recenset, eodem modo se exprimere soleat. Sic se *δεσμιον τῷ χριστῷ ἰησοῦ* vocat, *Eph.* III:1. *Captivum propter Christum*, & ejus Evangelium, quod prædicabat. Sic *παθήματα* sua vocat *παθήματα τῷ χριστῷ*, quibus opponit consolationes *διὰ χριστῷ*, sic enim loquitur 2. *Cor.* I, 5. *ὅτι καὶ ὁ θεὸς περισσεύει τὰ παθήματα τῷ χριστῷ εἰς ἡμᾶς, ἕτως διὰ χριστῷ περισσεύει καὶ ἡ παράκλησις ἡμῶν*: adde. 2. *Cor.* IV: 10. *πάντοτε τὴν νέκρωσιν τῷ κυρίῳ ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες*, quod v. 11. ita explicat *Ἄει γὰρ ἡμεῖς οἱ ζῶντες εἰς θάνατον παραδίδόμεθα ΔΙΑ ΙΗΣΟΥΝ*. Tandem *Gal.* VI: 17. *ἐγὼ γὰρ τὰ σιγματα τοῦ κυρίου ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βασίζω*. Ubi *Vetus Scholiastes* jam observavit stigmata Domini Jesu esse stigmata Pauli propter Jesum.

ζ. Quia *συναφεία* verborum hoc suadet. In antecedentibus dixerat, *Gaudeo in perpessi-*  
onibus

onibus meis, nunc addit, & adimpleo reliquias afflictionum Christi, in corpore meo.

§. 20. 7. Quod ipsa orthodoxorum sententia, quam proposuimus, difficultatibus non careat.

α. Durum (a) mihi videtur, si verba ita interpretamur; *Adimpleo reliquias afflictionum*, quas Christus in corpore Ecclesiae adhuc ferre debet, *pro Corpore Ecclesiae*.

β. Nec capere possum, quomodo Paulus pronuntiare possit, se adimplere ὑπερήματα afflictionum illarum, quæ Christus in corpore mystico pati debet, cum ὑπερήματα sint proprie partes rei posteriores, quæ in re desunt & reliqua sunt, ita ut ad umbilicum non sit perducta. Ast afflictiones Christi in corpore mystico vix incipiebant, hinc Paulus reliquias harum afflictionum adimplere non poterat.

γ. Et si concederemus afflictionibus vix cum maxime incœptis, reliquias attribui posse, nescio quomodo Paulus adeo emphatico verbo dicere possit, se *adimplere reliquias afflictionum Christi*, nam hoc innuit eum eas ad umbilicum perducere, ut probabimus, quod sane non fecit, imo ne millesimam quidem harum reliquiarum partem complevit.

δ. Tandem tota vis compositionis verbi

Ο ὅτι πάντα

(a) Sane Theophylactus in hunc locum, ait, δοκεῖ ἀλαζονικὸν καὶ ἀπρονενοημένον εἶναι τὸν λόγον τούτον.

T. d. H.

ἀντιναπληρώσῃ periret si hanc interpretationem sequamur quæ facta tecta manebit, si nostra admittatur.

§. 21. His stabilitis reliqua non multum difficultatis habebunt, si enim afflictiones Christi sunt afflictiones ipsius Pauli propter Christum, facile apparebit eas suas habere reliquias.

κ. Si ad vocabulum ὑσερημα attendamus, ex etymo sane significat rei alicujus partes posteriores, quæ in re quadam desunt ita ut illa ad consummationem, ad perfectionem non sit perducta, hinc aliquando (Græce diceres ὑπολειμματῶ) defectus, reliquie, vertitur, Belgice non ineleganter veritas *Agterstellen* LXX. utuntur hoc vocabulo ad reliquias summæ alicujus exprimendum. *Reliquia numerari non possunt* Eccl. I: 15. in N. Test. defectum aut reliquias qualescunque, in qualibet re, sic de defectibus, quos patiuntur, pauperes usurpat Paulus, 1. Cor. XVI: 17. 2. Cor. VIII: 14. IX: 12. XI: 9. etiam de defectu & reliquiis in præstando officio, sic Paulus de Epaphrodito ait, eum *adimplevisse* ὑσερημα defectum *λειουργίας* Philippensium, quam Paulo debebant. *Phil.* II: 30. Stephanus in lexico monet ὑσερημα ad cursum referri & significare defectum cursus ita ut propositam metam non attingas, sed potius deficias superatus ab alio, sed exempla non addit. Videtur tamen Paulus *Heb.* XII: 15. Verbum

ὕστερον ad cursum referre, ut significet ita in cursu deficere, ut metam gratiæ non attingas, suadent hoc enim præcedentia; Quicquid sit, ὑστερηματα sunt reliquiæ, quæ desunt ad plenam rei consummationem.

§. 22. 2. Reliquiæ ergo afflictionum Christi, sunt reliquiæ afflictionum, quas Paulus ex decreto Dei ferre oportebat, antequam metam gloriæ attingeret. Paulus ad Christianismum conversus, & ad munus Apostolatus cooptatus divinitus, in stadium quoddam quasi productus, ubi multa gravia passurus erat, stadium ut lineam, sic & metam habebat, decreto Dei non tantum descriptam, sed &, ut videtur, ipsi Paulo manifestatam, Deus enim Ananiæ dixerat: *Ego ipsi monstrabo ὅσα, quanta propter nomen meum pati debeat.* Act. IX: 16. Hinc sciebat se ex prima custodia, in qua cum maxime erat, evasurum incolumem, hoc enim Philippensibus cum ΠΑΡΡΗΣΙΑ declaraverat. Phil. I: 25. 26. & cum ad metam in secunda captivitate vergeret, & hoc Timotheo suo indicavit, 2. Tim. IV: 6. sqq. Certo ergo sciebat se maximam partem cursus sui absolvisse, reliquias tantum quasdam absolvendas restare. Sane si rite calculos ineamus, longe maxima pars afflictionum Pauli jam præterierat, cum hanc Epistolam ad Colossenses exararet. Nam si accuratos Clarissimi Tillii calculos sequamur, Paulus ineunte Vere anni æræ Vulgaris XXXIX.

XXXIV. ad Christianismum conversus est; Anno ejusdem æræ LXV. Neronis XI. Romæ Martyrium subiit. Sed hæc Epistola Romæ scripta est, cum Paulus in libera Custodia ibi, ut Cæsaris captivus detineretur; hinc ante annum æræ Vulg. LV. & II. Neronis hæc epistola scribi non poterat; Ponamus ergo eam scriptam fuisse eodem vel sequenti anno, imo aliquando serius, restabant pauci admodum anni adimplendi, saltem ultra IX. extendi non possunt. Hi anni, si eos cum cæteris comparare velis, *reliquiæ* tantum afflictionum Pauli dici merentur; posterior enim & minima earum pars sunt brevi absolvenda.

§. 23. Has Reliquias cum maxime implebat, utitur verbo composito ex ἀντὶ ἀνά & πληρόω.

κ. Nihil attinet multis probare. Verbum πληρόω significare rem adimplere, i. e. ad umbilicum, ut ajunt, aut ad perfectionem suam perducere. ὑστερημα ergo rei alicujus, adimplere, est id quod deest, adjicere, ut nihil amplius desit, sic Paulus Ephaphroditum laudaverat, quod ille ὑστερημα λειτουργίας, erga se adimplevisset, omne quod deerat. Invenit ergo Paulus hoc nostro in loco, se in eo esse ut ὑστερήματα afflictionum suarum absolvat, & ad metam tendat, coronam gloriae brevi adepturus. Multa gravia, ut ipsi prædictum, propter nomen Domini jam passus erat,

erat, qui Pauli *ἁλίψεις* graphice depictus cer-  
nere velit, adeat ille 2. Cor. VI: 4. sqq. &  
cursus jam ad metam vergebat, & mensu-  
ram suarum afflictionum adimplebat.

§. 24. 2. Sed attendi debet, Apostolum uti  
verbo decomposito *ἀντανάπληξεν*, quod sane  
frustra non est. Si in particulus *ἀντι* & *ἀνα*  
oculos conjiciamus & ad notam earum signi-  
ficationem attendamus. Paulum, hoc ver-  
bo *πληξεν* jungentem mihi videtur Colossen-  
sibus in mentem revocare velle, ea quæ ege-  
rat cum adhuc Saulus esset, tunc affligebat  
ille Ecclesiam Christi, sed nunc ianuit. Ego  
vicissim loco Ecclesiæ affligor, tunc Ecclesia  
affligebatur per me, sed nunc meæ sunt vi-  
ces afflictiones ferre, propter Christum, in  
bonum non tantum Ecclesiæ, quæ exem-  
plo meo erigitur, sed etiam loco Ecclesiæ,  
cum hostes, saltem ex Gentilibus, nondum  
in oves, sed Pastores & capita Ecclesiæ favire  
inceperint.

§. 25. Hæc Paulus præcedentibus junge-  
bat per copulam *καὶ*. Hic per *Nam*, ut sæ-  
pius, verto. Putem enim Paulum hisce ver-  
bis rationem reddere, cur in afflictionibus suis  
gaudebat, & sane graves rationes hisce ver-  
bis subsunt.

8. Nam quicquid patiebatur, id innuit se  
non pati propter aliquod perpetratum scelus,  
sed

sed propter Christum, perpeffiones ejus erant *θλίψεις τῆ χειρῶ* & ut Petrus & Johannes loris cæsi, exultabant, quod digni judicati fuerint, pati propter nomen Christi, ita & ob eandem rationem in perpeffionibus suis gaudere poterat.

2. Erant afflictiones tantum in Corpore morti obnoxio, cum anima fuerit serena & consolationibus divinis propter & per Christum abundabat.

3. Erant tantum reliquæ adimplendæ; maxima pars adimpleta erat, cursus fere absolutus & meta in propinquo erat.



II.

THEODORI HASÆI,

Ad illustrationem loci

Col. I: 24.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

SUMMARIUM.

Triglandii de loco hoc sententia. Judæorum compensationes & rerum & temporum. §. 1. Circa primitias & dies festos *קמולשת* *מלשת*. §. 1. & 2. *Αναπληρωσ*, *Ἀναπληρῶν*. §. 3. Tempora N. T. sub simbolo festi describuntur. Paulus omnium Apostolorum

rum fuit ultimus. Tarditatem autem conversionis compensavit laboribus suis & passionibus. Et hoc indicatur hoc loco §. 4. 5. Quod probatur. §. 6. Sententia Cl. van de *Walle* illustratur testimonio Chrysoft. §. 7. & Theodoreti. §. 8. *Ἰλιψαι τὰ χεῖρα* sunt afflictiones propter Christum toleratae. 2. Tim. 1: 8. 2. Cor. IV: 10. §. 9. Variæ rationes cur passiones, quas tulit Paulus, vocantur Christi passiones §. 10. *Τερενία*. Luc. XXI: 4. 2. Thess. III: 10. *ὄσσελζειν τῶν καρῶν* §. 11. Phrasis hæc est agonistica. Ebr. XII: 15. IV. 1. *καταλειπεῖσθαι*. *Τερεῖσθαι* §. 12. Whitbyi conjectura. §. 13.

§. 1.

**C**um elegantem hanc, quam modo legisti, difficilioris Paulini loci explanationem vidi, in mentem venit alius observationis, ad eundem luce perfundendum spectantis, quam olim ex ore Lugdunensium Theologi ac Philologi præstantissimi Jacobi TRIGLANDII. J. F. J. N. hausi, cum illi ante hos quatuordecim annos in alma illa Batavorum Academia operam dabam. Nisi me omnia fallunt, res haud ingrata fiet Lectori, si illam cum eo, prout eam ex publicis ejus praelectionibus tum excerptam in schedis meis invenio, heic loci communicavero. Observabat ille nimirum inter Judæos tempore Pauli varias compensationum species viguisse respectu tum *rerum*, tum *temporis*. Compensationes *rerum* erant, ita pergebat, v. gr. si quis primitias fraudaverat, quæ

quæ Deo essent consecratae, ( v. Tract. Misn. תרומות c.6. §.4. sq. ) si nondum illas comedisset, illorum duplicem valorem debebat præstare. Sin secus, compensationis loco præstare ( ב קרנים וחומש ) sortem duplam cum quinta. Compensatio respectu *temporis* erat, si quis justum tempus non observasset, illi ex Magistrorum placitis dabatur facultas omissa compensandi, v. gr. si cui morbo aut itinere impedito celebrare festum Paschatos non fuisset integrum, ille mense secundo illud compensare poterat, ut patet ex Mischna Pes. cap. 9.

§. 2. Neque hoc tantum licebat, circa totum festum, sed & si quis certorum dierum officio non recte fuisset functus, & verebatur, ne quid omisisset, in sacro officio, illi compensationes injungebantur. Vide tractatum חגיגה, ubi R. Elieser aut ejus nomine Osias rogat in Gemara, quod habeat compensationem per omnes dies septem Deut. XVI: 16. Hinc infert, ita etiam festum hebdomadum habere compensationes. Illæ autem compensationes dicebantur *מילושן* *impletiones*, & , qui implebat, ille dicebatur *משלם*. Grace diceretur optime *ἀντισταπληρῶν*.

§. 3. Vocabulum enim *ἀντισταπληρῶν* apud nullum Scriptorem cum ista compositione venit. Quid autem voluerit Paulus patebit ex gemina præpositione. Πληρῶν est impleo.

Ανα in compositione est *rursus*, *denuo*. ἀναπληρωω est secunda vice addo, quod suppleat defectum respectu vel rei vel temporis, sic occurrit apud Aristophanem. Ανπι autem in compositione *vicem*, *compensationem* indicat. Αντιδιδωμι est *compenso*, Αντιβοητεω, *rursus auxilium praesto*. Ανπιπληρωω est *repleo*, quod deficit, apud Josephum Ant. L. II. & sic ἀντιανπιπληρωω est *compenso loco alicujus*, quod deficit.

§. 4. His itaque positis, notandum porro dies N. T. tanquam solem e festum spirituale ubique in S. literis describi, & accessionem ad Christum, atque ejus beneficia sub emblemate proponi itineris Es. xxx: 29. Es. LXVI: 23. Zach. XIV: 16. 1. Cor. V: 7. 8. Hebr. XII: 23. Jam ad illam spirituales lætitiæ fideles turmatim venerunt Es. II: 2 LX: 4 5. 8. Mich. IV: 2. In illo accessu aliqui priores, aliqui posteriores venerunt. Judæi anteverterant gentiles, Judæos antegressi sunt Apostoli. Vide Matth. XIX: 28. 29. Inter omnes autem Apostolos, qui accesserunt ad Christum, unus Paulus accessit serius ad suas partes implendas Act. IX: 15. Vocatus autem non modo ad testimonium veritati dandum, sed & ad perpeffiones subeundas Act. IX: 16. quemadmodum etiam reliqui Apostoli.

§. 5. Postquam itaque, illi, qui primi vocati erant, jam multa erant perpeffi, tandem ultimo loco accessit Paulus. Nihilò tamen

minus tanto cum Zelo munus suum est aggressus, ut in nulla re fuerit minor etiam eminentissimis Apostolis, adeoque illa ὑστερηματα, tarditatem adventus (ὑστεροθαι enim notat posteriorem esse respectu temporis. Hebr. IV:1. XII:15. 2. Cor. XI:9. 1. Cor. I:9.) magno cum scœnore compensavit. Vide Rom. XV:18. 19. Atque haec latent in his verbis. Quasi dicat. Ego non tantum patienter tolero, sed & in ipsis afflictionibus laetor duplici nomine. α. Quod pro vobis haec patior in vestrum & ecclesiae commodum. Phil. 3:12. β. quod ego, qui eram ὑστεροῦν, seriusque ad hoc stadium decurrendum accedo, nunc compensato hanc meam tarditatem gravioribus passionibus.

§. 6. Haec expositio satisfacit (α) emphasi verborum, (β) Ἀντανάπληρωσ est ὁλῶσ Dan. V:8. Gen. XV:16. 1. Reg. VII:51. Es. LX:20. & sic nos rationem damus illius vocis, qualem nulla dedit priorum explicationum. (γ) Et convenit etiam rei, Paulus enim duplices perpeffus est passiones 2. Cor. XI:23. (δ) Tota phrasis Paulo competeat. Haec enim scribens erat Romæ in apice perpeffionum Col. IV:18. (ε) Probe etiam principiis illius temporis convenit, magna enim erat honoris praerogativa, si quis ante alium nomen Christo dederat Rom. XVI:7. Gal. I:17. Hinc Petrus vocatur πρῶτος. (ζ) Magnum etiam fundamentum habebatur honoris pati pro Christo. 2. Cor.

2. Cor. VI: 4. 5. 1. Cor. X: 12. XI: 23. Cum itaque falsi apostoli se jactarent, Paulus suam causam agit, & probat, quod licet serius veniat, quam alii, tamen illam tarditatem abunde compenset perpeffionum cum numero, tum acerbitate.

§. 7. Atque hae quidem Cl. TRIGLANDII cogitationes, & eruditionem haud vulgarem & ingenium solers spirantes conjungi apprime possunt, illi interpretationi, quam egregie illustravit Clarissimus van de Wall, quam mihi valde arridere, quod & emphasi verborum, & orationis nexui, & scopo apostoli satisfaciat abunde, & difficultates omnes, quae primo intuitu adesse videbantur, prorsus tollat, nollem diffiteri. Liceat itaque verbum addere, quo iis, quae jam allata sunt, aliquid accedat cum lucis tum roboris. Pontificii eam arguere novitatis non possunt, cum jam pridem eam aurei oris Doctor protulerit in Hom. ad h. l. Opp. T. VI. p. m. 182. ubi ita scribit. Δοκει μὲν μέγα εἶναι, ὅπερ ἐφθγγατο, ἀλλ' ἐκ ἐστὶν ἀπονοίας (μη γένοιτο) ἀλλὰ καὶ πολλῆς φιλοσοφίας τῆς περὶ τὸν χριστὸν. Ὅυ γὰρ βεβηλαὶ αὐτὸς εἶναι, ἀλλ' ἐκεῖνὰ τὰ παιθῆ. Ὅυλω δὲ εἶπε, τὰς οἰκειώσαι αὐτῷ βελομενῶ καὶ ἄ ἐγὼ παρῶ ΔΙ' ΕΚΕΙΝΟΝ παρῶ φησιν. Quæ ita vertit Gentianus Hervetus. *V. detur quidem magnum esse, quod est locutus, sed non est arrogantiae & insolentiae; absit; sed magnae in Christum benevolentiae. Non enim vult esse suas, sed illius passionis, eas ipsi volens conciliare. Et, quae ego, in-*  

P 2 quit,

quit, *patior PROPTER ILLUM patior*. Neque multum ab hac abluunt sententiae Theodoretii, Fr. Vatabli, Hier. Zanchii, & Joh. Crocii.

§. 8. Theodoretii autem cum memini, notare liceat eum hoc comma legisse aliter, quam nunc quidem fit. Illud enim citat in sermone X. περὶ πρηνείας non longe ab initio, Opp. T. IV. p. 441. editionis Sirmondianae hoc modo. *Νυν χαίρω ἐν τοῖς παθήμασιν ὑπὲρ Χριστοῦ*, ubi nunc legitur ὑπὲρ ὑμῶν. Quod si ita ipse Apostolus scripsit, videtur eodem commate explicasse, quid sint *θλίψεις τῶν χειρῶν* sc. *παθήματα ὑπὲρ χειρῶν*, i. e. *passiones, quae Christi causa & pro ea suscipiuntur.*

§. 9. Exemplis illis, quae adducta sunt, ut probetur genitivum, additum nomini, indicare causam, propter quam aliquid fit, addi possunt alia; Sic v. gr. 2. Cor. II: 15. *ἰσώδεια χειρῶν* notat bonum odorem, quo fragrabant propter Christum & Phil. II: 30. *ἔργον τῶν χειρῶν*, notat operam & laborem propter Christum, ejusque causam susceptum. Sed ut loca tantum, in quibus de passionibus agit, Paulus noster, nunc adducamus 2. Tim. I: 8. non solum *μάρτυρον τῶν κυρίων* videtur indicare Martyrium propter Christi causam praestitum, sed & eodem commate, cum Apostolus scribit se *συγκακοπαθεῖν τῷ εὐαγγελίῳ*, una pati cum Evangelio, Evangelio tribuit *passiones*. Quid autem sunt *passiones Evangelii*? non aliae, quam quae

quae propter Evangelium imponuntur. Quemadmodum id Apostolus ipse explicat inciso 12. ubi cum mentionem fecisset *Evangelii*, cuius constitutus erat *Ἔ* praeco *Ἔ* Apostolus *Ἔ* Doctor gentium, addit; ΔΙ' ἩΝ ΑΙΤΙΑΝ καὶ ταυ-  
 τα παρῶ. Clarius id fit ad Ebr. XI: 26. ubi ὀνειδισμῶ τῆ χειρὸς significat opprobrium pro-  
 pter Christum subeundum, quæ eadem phrasis quoque occurrit eo sensu Ebr. XIII: 13. Prae-  
 cipue autem notanda est phrasis ejusdem, quae occurrit 2. Cor. IV: 10. ubi cum dixisset  
 πάντοτε τὴν νεκρωσὶν τῆ κυρῆς Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι πε-  
 ραφέροντες, id commate sequenti ita interpre-  
 tatur; Ἄλλο ἡμεῖς εἰς θάνατον παρεδιδόμεθα ΔΙΑ  
 ἸΗΣΟΥΝ, ubi vides νεκρωσὶν τῆ Ἰησοῦν mox ex-  
 plicari, per θάνατον ΔΙΑ Ἰησοῦν, eadem plane ra-  
 tione ut heic θλίψεις τῆ χειρὸς vocat θλίψεις ΔΙΑ  
 ΤΟΝ ΧΡΙΣΤΟΝ, ut innuantur illae afflictio-  
 nes, quas sustinuit propter Christum, quod  
 alias dicitur pati δια το ὄνομα αὐτῆ Matth. X: 22.  
 vel ἐνεκεν αὐτῆ, καὶ τῆ εὐαγγελίᾳ Marc. VIII: 35.  
 vel ὑπὲρ τῆ ὀνομασίᾳ αὐτοῦ Act. V: 41. IX: 16.  
 XV: 26. XXI: 13. vel ἐν ὀνοματι αὐτῆ 1. Petr.  
 IV: 13. hoc est; propter ejus nominis glori-  
 am ac laudem.

§. 10. Neque tamen, cum Paulus suas pas-  
 siones appellat passiones Christi, HUNC  
 tantum, ut (α) causam finalem earum con-  
 siderat, sed & (β) ut causam impulsivam  
 quod, quae ei contingebant, continge-  
 rent ex ejus mandato, ordinatione, im-  
 pulsione ac directione. Vide Matth. XV: 24.

Joh. XVI: 33. Act. IX: 16 Phil. II: 29. 1. Petr. II: 2. Adde & (γ) causam *per accidens*, seu occasionalem, quod praedicatio Evangelii Christi ejusque ministerium ansam praerberet afflictionum ab eo sustinendarum. Adcedit, quod (δ) eo pacto Christo adsimilaretur, ut nunc in passionibus, ita olim in gloria passionibus istas secutura. Rom. VI: 5. VIII: 17. 18. 2. Cor. I: 7. 1. Petr. II: 22. IV: 13. 2. Tim. II: 12. Quibus (ε) addi potest arcta illa communio, quae Christo intercedit cum fidelibus, tanquam capitis & membrorum, sponsi & sponsae, propter quam ea, quae fideles vel faciunt vel patiuntur, eo loco reputantur, quasi Christus ipse ea vel passus esset vel fecisset Es. LXIII: 9 Matth. XXV: 35-40. Act. IX: 5. 2. Cor. I: 5. Utpote, quae ratio est, quod jam in omnium antiquissimo oraculo, quod exstat Gen. III: 15. sub eadem locutione *contritionis calcanei*, & Christi & fidelium passiones fuerint indicatae. Unde tandem (ζ) oritur singularis *συμπάθεια* Christi, qua, cum membra ejus affliguntur, ille pariter commovetur. Sicut parentes affliguntur animo, quando vel neces vel vulnera natorum suorum contemplantur. Ad exemplum Mezentii, qui sibi querebatur ingestum esse vulnus, filio suo Lauso dexterâ Aeneae interempto apud Virg. Aen. L. X. vs. 850.

- - heu nunc misero mihi demum

*Excilium infelix, nunc alte vulnus adactum.*

Quid

Quidquid hujus est, hinc plus satis constat,  
 θλιψεις τῶν χειρῶν esse afflictiones Pauli.  
 Q. E. D.

§. 11. τὸ ὑσερημα recte explicatur de eo,  
 quod ad consummationem alicujus rei adhuc  
 requiritur, vel deest. Sic ubi Luc. XXI. 4.  
 paupercula illa vidua in gazophylacium dici-  
 tur pro ecisse ἀπαντᾶ τον βιον ἐκ τῶν ὑσερηματος  
 αὐτης, intelligitur illud, quod adhuc ei reli-  
 quum erat ex demensa portione bonorum,  
 quam possidebat. Sic ὑσερηματα της πιστεως  
 The. salonicensium, notant illud, quod iis  
 ad plenam fidei πληροφοριαν adhuc deerat  
 2. Theff. III: 10. Notanda quoque phrasis est,  
 quæ apud Julium Pollucem legitur L. V. c.  
 134. προβολοι, οἱς φησιν ο ρητωρ προσπλαιοντες  
 ΤΣΤΕΡΙΖΕΙΝ ΤΩΝ ΚΑΙΡΩΝ; obices, quibus, ut  
 ait Rhetor, impingentes tempore, impediiri solent.  
 (kommen an der Zeit zu furs.)

§. 12. Atque ille loquendi modus vide tur  
 omnino depromptus esse à veterum stadiis, in  
 quibus currentes, si quid objectum erat re-  
 morae, facile ab aliis à tergo relinqueban-  
 tur, ut serius aliis adtingerent metam. Ita  
 saltim ὑσεριζειν occurrit apud Philonem de vi-  
 ta Mosis L. I. p. m. 651. Οἱ γαρ ἐφεδροι των  
 ἈΓΩΝΙΣΤΩΝ ἐκ ἐλαττεμενοι ταις προθυμιας,  
 χρονω και τω φθασθηναι μονον ΤΣΤΕΡΙΖΟΥΣΙ;  
 Quae minus recte videtur expressisse Sigis-  
 mundus Gelenius. Qui enim manent in statione  
 parati auxilio, tempore non alacritate cedunt po-  
 tiori-

tioribus. Neque accurata est Adriani Turne-  
 bi versio Opp. T. II. p. 123. Nam subsidiarii,  
 qui non minus promptis animis, quam pugnatore  
 imminent, tempore & præceptione solum vincuntur.  
 Quid si ita veritas? Illi, qui adsiderint AGONI-  
 STIS, neque minore quam hi cupiditate (certandi)  
 correpti sunt, tempore tantum & præventionem ab illis  
 (cursu vel certamine) superantur Atq; hin non  
 solum illustrandum esse putem locum Pau-  
 linum Ebr. XII: 15. utpote quo toto in capite  
 aperta ad veterum agones est allusio, sed &  
 Rom. III: 23. 2. Cor. XI: 5. XII: 11. & præ-  
 cipue Ebr. IV: 1. ubi ὑπερῖοθαι clarissime no-  
 tat ab alio in cursu superari, & verbum ago-  
 nisticum est, non minus ac vox καταλειπομένης,  
 quod eodem commate occurrit, quod jam  
 observatum est Jacobo Lydio in Agon. S. c.  
 24. Ut autem κακαλείπεθαι notat venire tar-  
 dius, à tergo relinqui, quo sensu Horatius de  
 A. P. hac voce utitur

Occupet extremaum scabies, mihi turpe RE-  
 LINQUI est,

Ita eadem significatio est vocis ὑπερῖοθαι. Un-  
 de & Hesychius vocem καταλειφθεντων expli-  
 cat per ὑπερηθένων. Qui autem plura de utra-  
 que hac voce, quatenus ista, quam adduxi-  
 mus, notione apud auctores probatos, ve-  
 nit, desiderat, præter Henrici Stephani the-  
 saurum conferat doctissimum Raphelium in  
 Annot. Philol. in N. T. ex Polybio & Arria-  
 no collectis p. 636. sqq.


§. 13. Nos haec tantum ad confirmationem explicationis hujus loci, quam Clarissimi Viri Triglandius & Wallius dederunt, adducere volumus. Priusquam tamen eum derelinquamus verbo tantum mentionem fecisse liceat conjecturae Danielis Whitby, eruditissimi Angliae Theologi, quam in Commentario & paraphrasi N. T. qui ante viginti paene annos Londini excusus est, ad illum protulit. Observat multam in Iudaeorum scriptis mentionem fieri חבלי המשיח (a) *Dolorum* s. *passionum Messiae*. Dispersere illas in tres classes, quarum prima spectat illos, quas olim sustinere Patres eorum, altera, illas, quibus afflicti fuere in excidio Hierosolymae, tertia, quae in diebus Messiae illius discipulis imponentur. Ad has alludere Apostolum hoc loco, & cum meminit των υστερηματων των ελιψεων τε χειρα, velle innuere se jam partem dolorum Messiae sustinuisse &, quae de iis restant, porro passurum esse impigre. Sed haec nunc loco suo relinquentes monemus tantum hoc dictum Apostoli singularibus alias scriptis tractatum esse, cum à Thoma Ittigio, Theologo Lipsiensi indiffertatione, quae primam Lipsiae a. 1701. in 4. prodiit, deinde πενταδι

P 5

ejus

(a) Vide de illis praeter Buxtorfium in Lex. p. 708. Joh. Ern. Grabium in N. ad Test. XII. Patr. in Cod. Apoc. V. T. apud. Fabr. p. 580. & Eisenm. in Jud. det. p. 11. c. 13. Meminit quoque illorum R. Naphtali, in חבלי המשיח fol. 42. col. 4. T. d. H.

ejus Exercitationum conjunctim editarum inserta est, tum à Petro Brand, Sunderburgensi in ducatu Holsatiæ Pastore, cujus ad hunc locum schediasma eodem anno similique formâ vulgatum, exstat.



III.

THEODORI JANSSONII  
ab ALMELOVEEN (a)

epistola ad  
JOHANNEM D' OUTREINIUM,  
in qua  
multis sacrarum literarum locis  
lumen affunditur.

ARGUMENTUM.

Locus Jes. XLV, 5. illustratur. §. 1. Locus Ps. CX, 3. Dies exercitus est dies lustrationis militum. In eo ornabantur milites. §. 2. Quid ibi נדרבות f. spontaneae

(a) Nemo tam hospes in literis quae ab humanitate nomen acceperunt, esse potest, ut ignoret nomen ALMELOVENII, Medici primum Goudani, deinde תרס יאהרנס, & literarum politorum in Academia Harderovicensi Professoris celeberrimi. Is ante sexennium circiter rebus humanis ereptus est, non si.

nae Oblationes. §. 3. Cum Deus immittit iudicia  
 lustrat populum. ⚔. Alluditur ad arma mili-  
 taria, quae nitere debebant. §. 4. Locus ex Ep. Ju-  
 dae vs. 3. Ἀγωνίζεσθαι. Alluditur ad ludos agona-  
 les. §. 5. Locus Eph. VI, 11. 12. quid sint τα πνευ-  
 ματικὰ τῆς πονηρίας. §. 6. Eph. VI, 13. καταργε-  
 ζεσθαι. Conficere. Confectores. §. 7. Eph. VI, 14.  
 Περιζωμένοι. Cur dicatur ὁμοῦς δικαιοσύνης,  
 non autem ἀληθείας? §. 8. Eph. VI, 16. 17. Galea  
 salutis. Cur ultimo loco memoretur. §. 9. Locus  
 Cant. V, 11 Capilli crispī. Signum pulchritudinis.  
 Quid in Christo capilli. §. 10. Nigredo capillorum  
 Conjectura ad locum Luc. XII, 7. §. 11. Cant. V, 13.  
 Labia instar liliorum. Genae comparantur pulvillis  
 aromatum. §. 12. Cant. V, 16. Examinatur Syriaca  
 & Chaldaica versio. §. 13. Locus Eph. II, 14. Με-  
 σοτοιχόν. §. 14. Eph. II, 15. 16. Emphasis vocis κα-  
 ταργήσεις. Ἐν ἐνὶ σωματι, i. e. in unam societatem.  
 Corpus pro collegio. §. 15. Locus Prov. XXV,  
 11. Aureum notat, quod pulcrum est. §. 16. Locus  
 Math. IX, 38. Ἐμβαλεῖν Hujus vocis emphasis.  
 §. 17. Paucitas Ministrorum in Ecclesia Reforma-  
 ta. Conclusio. §. 18.

Viro

sine summo scientiarum elegantiorum, damno, quas  
 ille dum viveret, egregie ornabat non voce solum,  
 sed & scriptis, quae edidit, ex quibus nunc tantum  
 nominasse sufficiat; *Opuscula Critico-Philologica.*  
*Amaenitates Theologico-Philologicas: Inventae nov-Anti-*  
*quae.* De *Vitis Stephanorum* librum. *Rutilii Itine-*  
*rarium.* *Epistolas Casaubonianas.* *Strabonem.* *Corn.*  
*Celsum,* *Bibliothecam promissam & latentem,* *Fastos*  
*consulares.* Multum itaque debemus Venerando  
 D' OUTREINIO, qui & hoc praeclari Viri λεῖψανον  
 communicare nobiscum benevole voluit. Continet  
 autem

*Viro admodum docto & reverendo*  
**JOANNI D' OUTREINIO,**  
 S. P. D.

Theodorus Jansonius ab ALME-  
 LOVEEN,

§. I.

**P**romisi proximis, modo recte sint cu-  
 ratae, verbosiore epistola demonstra-  
 turum, seu potius confirmaturum, me  
 non sine animi attentione pervolvisse  
 elegantem, quem ultimo misisti, &  
 perdoctum libellum tuum. Nunc nec dum  
 solutus curis ac laboribus, ne plane videar  
 tuorum negligens, solvo datam fidem, confi-  
 sus, si subinde cespitavero, quod facile extra me-  
 tam versanti accidit, Te nostris erroribus beni-  
 gno animo ignoturum, imo conatus nostros be-  
 ne interpretaturum. Itaque pag. 2. doces per-  
 sonas quibus de agit Propheta (a) ter fuisse  
 desi.

autem annotata, ad librum, quem hic sermone Bel-  
 gico Amstelodami Anno MDCCLII. in octavo, ut vo-  
 cant, vulgaverat, sub titulo *Bibelsche Keurstoffen* si-  
 ve SELECTORUM BIBLICORUM. Quam quis-  
 quis cum his observationibus comparabit, eum ope-  
 rae non paenitebit. T. d. H.

(a) Jesaias nempe Cap. XLIV, 5. Ubi in Hebraeo est:  
 ¶ Hic dicet, Jehova Ego (sua) ¶ Hic appellabit  
 (se)

designatas voce ⲛⲓⲧⲟ, ⲛⲓⲧⲟ καὶ ἕτερο, circa quod observo primo numerum, eumque singularem atque adeo ut (b) ὄνα λαός subintelligatur, & quidem populus singularis, seu, ut ita dicam, unus, certus quidam, ac privatus propterea, quod a Deo ipso electus, ac sibi constitutus Exod. VI, 6. Deut. XXXII, 6. dein terna vice fuisse repetitam eam vocem.

I. Quatenus illo demum tempore tres partes mundi erant e cognitæ, quibus electierant prodituri.

II. Quatenus illum populum singularem electumque constituerunt 1. *Judæi* Moysis legibus ac præceptis conversi. 2. *Ethnici* ab Apostolis revocati & edocti 3. πληρωμα seu supplementum Judæorum ultimis temporibus convertendorum vel jam conversorum, qui tamquam novi homines, & quasi tertium genus possent haberi, haud aliter fere ac novi rami inserendi olivæ Rom. XI, 25. 26. Atque hoc jam præmonitum ac prædictum erat a Moysè Deut. IV, 30. & confirmatum a Michæ V, 2. Quid? nonne Jesaia interprete XLIX, 20. 21. novi & incogniti habentur liberi, recepti tamen admissique: vel novi etiam illi possunt

(se) de nomine Jacobi; ⲛⲓ Et hic scribes manu sua (Vel inscribes manu suæ) ⲛⲓⲧⲟ, Jehovah. Ubi LXX. ⲛⲓⲧⲟ, ⲛⲓⲧⲟ καὶ ἕτερο. (J. D' Outrei.n)

(b) Quidni subintelligatur ἄνθρωπος. Non enim de singulari populo, sed de quibusvis ex quavis natione hominibus sermo est. (J. D' O.)

sunt intelligi, quorum ipse mentionem facis pag. 304. 305. Hinc jam deduco.

Pag. 4. (c) Non *quadripartitam*, verum potius *tripartitam* esse inducendam constituentemque distinctionem, nempe eum populum e tribus partibus memoratis constantem,

1. Dicturum, *se esse domini*,
2. Nominaturum, *se nomine Jacobi*,
3. Manu exaraturum, *sum domini*.

Quartum enim, quod subjungis *se appellaturum nomine Israël* refero ad alterum seu secundum caput, siquidem loquendi formula plane est eadem. Maxime vero me movet numerus ternarius primo prolatus, cui tria diversa adscribuntur denominationis seu appellationis genera.

- I. Namque *se diceret*, id est, profiteretur, sed simplicius.
- II. *Se nominaret* i. e. apertius demonstraret *se populum electum* variis signis & modis.

III.

(c) Quando *quatuor* partes in illo textu enumeravi, nequaquam indicare volui tres distinctas sententias ab gentibus, ad fidem Christi conversis, esse preferendas; sed tantum ipsarum confessionem quatuor phrasibus a propheta proponi, quæ tamen ad *duas* partes distinctas possunt redigi. I. Quod dicerent, & *manu* etiam scriberent, *se esse Jehovah*, II. Quod sese *denominarent a nomine Jacobi & Israël*. Adeo ut publice profiterentur sese pertinere ad *Christum*, ejusque *Ecclesiam*. (J. D. O.)

III. Se scriberet i. e. omnium apertissime confirmaret doceretq; scribendo forte in manuum palmis ad exemplum Dei *Jes. XLIX, 16.* vel in fronte *Apocalyps. VII, 3 1.* quod & Diabolus Dei simia imitatur *Apocal. XIII, 16.*

§. 2. Pag. 34. eleganter meo Judicio **ל** exponis (d) *Wapenschow, monstering, revuë*, diem lustrationis, quandoquidem induti erant *vestibus purissimis*, elegantissimis, id est, *sacris*, ea propter quod lustratio exercitus erat *dies sacer & festus* milicibus. Didicisti namq; è Plutarcho in vita Crassi, Imperatorem cæsis victimis expiasse exercitum. Imo eodem auctore in vita Marcelli non tantum imperatoris, sed ipsos quoque milites fuisse eo die *coronatos*. Quid itaque verisimilius, quam quod solenne sacrificium celebraturi milites, armorum splendorem nitoremque exhibituri, *vestibus* fuerint induti præstantissimis. Quin potius *armilustrium* vocare non refragabor. Videndus est eruditissimus *Lomejerus*, de *lustrationibus veterum cap. 31.*

Pag. 301. Lubens fateor me facere cum  
iis

(d) Ubi disiero de loco *CX, 3. populus tuus spontaneus erit in die exercitus tui*, in ornamentis sanctitatis. Ubi per *diem exercitus* intelligendum existimavi non tantum 1. Tempus, quando *conscribitur* aut *colligitur* exercitus. Verum etiam 2. Tempus *lustrationis* exercitus. Sicuti & 3. Tempus *prælii* 4. & *Triumphii*. Ad secundum autem hic respicit. Vir Clarissimus, J. D' O.

iis, qui solos potissimum milites per *populum* intelligunt, ejus ratio est, quod de *militibus* videatur maxime agi.

§. 3. Pag. 40. Agis de *spontanea* (e) *oblatione*. Quis quæso se lubentius ac sua sponte studiosius aut ardentius offert Imperatori exercitum conscribenti, quam *miles*. Qui I. gloriæ sibi ducit summæ militare sub rege bellicosissimo invictissimoque. II. Qui patriam ac lares, ne dicam uxores, liberos, carissima pignora, conatur tueri. Quid? profitebantur milites die seu tempore lustrationis se non *evocatione* conscriptos, non *premiis* allectos, non *vi* coactos, sed *sponte* id est, libere, voluntarie nomina sua dedisse militiæ. Ac ejusmodi milites longe acrius solent hostes invadere, pertinacius pugnare, quam qui *coacti* militiam adeunt. Hos vocant *volones* seu *voluntarios*, quod cum notassem progressus ad pag. 44. lætus offendo, jam longe ante me ita sensisse eruditissimum in hoc genere literarum A. Bootium in animadvers. S. L. I. cap 9.

Pag. 54. §. 56. Addis præcipue intelligi de *spontaneis oblationibus*: quod nullus improbo, etiamsi *militibus* per *populum* intelligamus: cum credibile sit, etiam illos lustrationis exercitus die vel sacra vel dona obtulisse Diis. Quid, amabo, gratius quid acceptius populus offerre poterat

(e) Sic enim vocem מנדבות potissimum vertendam esse in loco Ps. CX, 3. docueram. J. D' O.

erat Deo, quam operam non tantum suam, verum corpus, ac tandem ipsam animam. De voluntaria ejusmodi oblatione agit Paulus ad Romanos XII, 1.

Pag. 59. *Op den Dag syner heyrkragt.* Inspice num ferat verborum contextus interpretationem, quam pati commode interroganti super hoc loco, mihi respondit celeberrimus noster MEIERUS. *Op den Dag der (Vertsooning) syner heyrkragt, in die exercitus ejus,* id est, quando amicis, civibus, spectatoribus aliisque advenis, quin & ipsis militibus lustratione exercitus demonstraret, quænam ipsi esset militia ad manum fortissima, significaret, quam haberet vim, quam armatorum multitudinem ostenderet, quot & quantæ forent ejus militares copię, quantus existeret exercitus ad impugnandos inimicos, repellendos hostes, sustinendos adversarios. Quod autem pag. 31. refers ad diem prælii, id non ita facile sequor, quoniam vix mihi quisquam persuaserit milites pugnæ die aut tempore præliorum nitidas aut pretiosas vestes induisse.

§. 4. Pag. 77. *Monstering en revuë.* (f) Nonne lustratio potest dici, quando Deus immit-  
Class. III. Fasc. II. Q tit

(f) Ubi doceo quodnam Tempus in regno magno Christi intelligatur per diem lustrationis exercitus ejus. Cujus quatuor species enumeravi. Quod vero hic addit Vir Clarissimus negligi non debet. Sed meo judicio referri potest ad tertium, quod ipse allegavi pag. 76. J. D' O.

tit fames, pestes, morbos contagiosos, quibus tamquam in lustratione aut censione *quidam*, qui sunt emeriti vel laude celebres, cum honesta, *quidam* indigni cum turpi missione dimittuntur, *aliqui* in cœlestem patriam, *plurimi* scelesti morte in Tartara demittuntur.

Pag. 116. Recte plurali numero vox *הדרים*, quam tu *vestes* exponis pag. 120. 121. 128. occurrit, quandoquidem *militēs* plura habent *vestium* & armorum genera (*Serv. ad Virg. Aen. VIII, 69.*) *majora* & *minora* ut galea, ensis, hasta, clypeus, quæ omnia debebant esse nitore splendentia & consecrata, quemadmodum arma veterum omnium erant dicata Marti. Vin' nitorem seu splendorem? ecquid convenientius? Dedecori enim erat militibus rubiginē ac situ squalida gestare arma, unde extra prælium tempore agminis solebant ea sollicitè pellibus tegere, & anxie ab injuriis aëris custodire. Vide Casaub. ad Sueton. Jul. Cæs. c. 67. Num hoc quadrat cum primo Tabernaculi ædificio, in quo sacerdotes cogebantur lavare vestes ac mundificare haud aliter ac pugnam ingressuri detergere arma. *Jerem. XLVI, 4.* *עלי, II.*

§. 5. Pag. 185. *ἐμυωνίζεσθαι* Gallica voce forte non mala expresseris *geentesteert syn. (g)*  
Pag.

(g) Dubito an Galli hac voce in hoc casu utantur *Entester* enim ipsis alio sensu sumitur. Respicitur locus

Pag. 189. *Op de kampvegters.* Quod ego amplector, licet non inficias iverim etiam alio significato sumi hanc vocem *ἀγωνίζεσθαι*. Sed movet me I. Quod Apostolus Paulus sæpe comparet religionem cum ludo agonistico, quem, eodem spiritu agitato Judas, forte voluit exprimere. II. Quod *certamen* potius dicatur de paucis hominibus, adeoque athleticum, bellum vero de ingenti multitudine armatorum, aut auctoritas significationis non tam ex *Machabeorum* libris, quam veterum scriptorum sive sacrorum, sive profanorum est haurienda. III. Quare ad *certamen* referam est, quod singulos excitet ut probe tueantur, si quando sit pugnandum id quod in certamine non omnibus simul incumbit, uti in bello, quia ipsis commissa erat fides pro qua tamquam pro corona triumphali seu pro aris ac focis erat decertandum. Juvat nos si exponatur *in fide certare*, quemadmodum exponis pag. 199. *Tertia* expositio mihi minus arridet, uti e contrario *quarta* maxime.

S. 6. Pag. 209. *Waar door hy* (Krygsoverste)

Q 2

ste)

cus Judæ vl. 3. ubi Apostolus fideles monet *ἀγωνίζεσθαι* pro fide semel sanctis tradita. Quæ præpositio ἐπι, varia ab interpretibus accepta, secundum Virum Cl. significationem haberet, *adversa fronte pugnandi*. Quæritur autem, an Judas alludat ad *certamina bellica*, an vero *ludorum* agonisticorum apud Græcos? Eo pertinet, quod porro observavit Vir Cl. ad pag. 189. J. D' O.

ste) *allerley wapenen verschafft*; (b) An non ut editor spectaculorum ac munerum, qui etiam arma aliaque instrumenta solebat vel coemta vel conducta exhibere.

Pag. 213. *Wyvertalen* &c. (i) Quamquam nullus rejiciam aut damnem novam tuam, nec inelegantem interpretationem, tamen videor mihi elegantius exponere per *dæmones* quos in aëre hospitari morarique receptissima erat & inveterata prorsus opinio. Si enim subtilissimas cupiditatum vires, atque invasiones seu potius insutus intelligat Apostolus, quid opus foret addere *aëris*, cum is nihil ad cupiditates faciat, neque voluptates in aëre commorentur.

§. 7. Pag. 214. Novam tuam (k) interpretationem omnino probo, maxime si *pancratiasten* intelligas. Hinc Latini *conficere* pro per-

(b) Respicit V. Cl. locum Eph. VI, 11. de Panoplia Christiana. Quæ vocatur Panoplia Dei. Qua phrasi dixi Apostolum Deum spectare ut Ducem hujus certaminis, qui militibus suis arma subministrat; uti Imperator militibus sub se merentibus arma suppeditare solet. J. D' O.

(i) Eph. VI, 12. τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας. Quod vertendum censui, per *spiritualia nequitia*, id est, subtilissimas nequitas, sive quintessentiam, ut sic loquar, nequitia. Vide Cl. Coccejum. J. D' O.

(k) Loci Eph. VI, 13. Assumite universam armaturam Dei, ut possitis resistere in die mala καὶ ἀπαντα κατεργασάμενοι ἕναί id est, omnibus adversariis prefigatis. J. D. O.

perficere, absolvere dicunt, unde *conficere bellum, negotium*, & per metaphoram de gladiatoribus. Cic. in Catilin. II. c. 11. *gladiator illi confecto & saucio*. Glossæ veteres *Confector*, ἀναίρετης & *confectores καταβόλοι*. Sueton. August. c. 43. *confectores ferarum*, e quo patet vocem propriam ex re venatica esse desumptam.

§. 8. Pag. 215. *Siaat dan, state ergo*: etiam si hæc verba desunt quibusdam exemplaribus, tamen debent exprimi, vel saltem subintelligi.

Pag. 216. *Gordel, om aan te hangen, ex cingulo pendebant arma*. Dubito an recte, arma enim non pendebant ex *cingulo*, sed potius *baltbeo*, quæ duo differunt. (l)

Pag. 217. *Borstwapen, Thoracem*, non putem lorica[m] tergum obtegisse, quoniam illa vulnera habebantur turpia atque inhonesta, quæ infligi nullo modo potuissent, lorica muniente dorsum. Sed quare potius *pectorale justitiæ, quam veritatis?* (m)

Q 3

§. 9.

(l) Sed verbum *περιζωσάμεν* referri potest tanquam ad *Baltbeum*, quam ad *cingulum*. J. D' O.

(m) Respondeo: 1. Quia jam *veritatis* mentionem fecerat Apostolus, utpote, qua cincti debebant esse Lumbi. 2. Sæpius alternantur atque inter se commutantur voces *justitia & veritas*. Sæpissime etiam conjunguntur ac pariter incedunt. 3. Rectissime autem *justitia* comparatur Thoraci, quo cor & pectus munitur adversus quævis tela & ictus. Id enim nobis præstat cum *justitia Christi*, per fidem im-

puta-

§. 9. Pag. 221. *Met den welken t. w. Schi'd des geloofs.* Olim videbar mihi non incommode vertere, in welke gy alle de vierige pylen des bosen sult kunnen smoren, haud aliter ac globuli vehementissime impulsus in tumulo arenario vel aggere suffocantur, & quasi extinguuntur.

Pag. 224. *Helm der saligheyd,* rectissime mea opinione Apostolus vocat *galeam salutis,* & ponit ultimo loco, quoniam spes vitæ beatæ erat unus, solus & ultimus scopus certaminis, cujus symbolum etiam præcipuæ corporis parti, id ex, capiti imponitur. Quare autem postremo memoretur loco, rationes hæc possunt videri probabiles. I. Quod soliti fuerint milites *galeam* omnium armorum *postremum* induere, & tanquam coronidem ceteris imponere. II. Quod nulla arma fuerint lauru, crista, coronis aliisque ornamentis circumdata exceptis solis *galeis*, unde *ornatrix galeæ* apud Gruter. Inscr. p. MCXVIII. n. 2. III. Quod in iis erant signa centurionum, quibus a gregariis militibus poterant distinguui. *Spon. Miscell. Erud. Antiq. p. 255.* Quod Tu facile transferes.

§. 10.

pütata, tum etiam iustitia inhærens, sive vera probitas. Secundum illud Horatii:

*Iustum & tenacem propositi virum,  
Non civium ardor prava iubentium,  
Non vultus instantis Tyranni,  
Mente quatit solida, &c. J. D' O.*

§.10. Pag. 234. *Syn haarlokken syn gekrult, swart als een Rabe* (n) *Eleganter capilli crispi dicuntur, propterea quod iis juvenus vegeta indicari veteribus solebat, senes enim sunt calvi, aut certe rariorum capillorum. Iis itaque significatur Christi flos ætatis, natura vegeta, animi vigor; nisi potius velis ad fortitudinem referre, quemadmodum de Simsone legitur vim omnem in crispis capillis confidisse. Judic. XIV, 17. seu iis indicare, ut ita dicam Nazareatum, quippe Nazaræi erant intonsi, uti hic sponsus videtur fuisse. Crispos autem capillos in honore veteribus fuisse vel inde constat, quod puerorum capillos omnibus modis atque artificiis enitebantur in gradus frangere, & in annulos contorquere, quo essent indicium vivacis ingenii atque alacritatis. Hinc doctissimus Elmenhorstius ad Apulejum pag. 163. variis scriptorum veterum locis docet pueros olim crispis capillis adhiberi solitos epulis. Aristænetus, si quis alius, scriptor jucundissimus ait, comas crispas signum pulchritudinis habitas. Et ut revoces ad Christum, adsunt testes Suidas in voce *εικώ*, & Cedrenus Compend. Histor. pag. 286. tradentes servatorem nostrum Christum *crispos capillos* habuisse: Adscribam e Cassiodoro ad Cantic. IV. vs. 1. per *capillos, subtiles ecclesiæ cogitationes* intelligi, item in-*

Q 4 nume-

(n) Ad locum Cant. V, II. *Capilli ejus crispi, nigri ut corvus.* J. D' O.

numerabilem multitudinem fidelium, quæ quidem verba me in hanc deduxerunt conjecturam, *capillos* nempe *contextos* significare *cogitationes continuas* & concatenatas, licet quasi annulis implexas, intricatas, inexplicabiles, cujusmodi *Dei* opera & cogitationes sunt hominibus *Jesai LV. vs. 9.* si *multitudinem* velis, sane cogitationum numerus est infinitus.

§. II. COLOREM *nigrum* indicare esse eas vel *obscuras*, vel *cimmeriis* in tenebris, id est, media nocte exortas. *Job. XXXIII, 15.* Si *Artemidorum* audias *Lib. I. c. 19.* de somniorum interpretatione; docebit „bonum esse in „somnia sibi videri habere pulchros & longos capillos, viro sapienti, sacrificio, & vasti, & regi, & principi, & *Dionysiacis* artificibus; ex his enim, quibus mos est nutrire comam, quandoquidem possessio comam alere permittit. Nigros crines pulchritudini adscriptos a veteribus docet *Horat. I. Od. 32. vers.*

*Et Lycum nigris oculis nigroque  
crine decoram*

Ubi vetus interpres: *pulchritudo enim in pueris sepe nigris decoratur oculis & crinibus.* Idem *Horat. in Art. Poëtica vs. 37.*

*Spektandum nigris oculis, nigroque capillo.*

Causam putarim, quod alter alterum colorem maxime illustraret, quemadmodum faciunt contraria juxta se invicem posita auctoribus philosophis. Juvat me egregius locus

Ari-

Aristæneti Lib. I. Epist. 7. quem habes apud eruditissimum Fr. *Juntum*, de pictura Veter. Lib. III. cap. 9. §. 6. ubi dignissima lectu offendes, quæ non describo. Ceterum ego facerem cum iis, qui referunt ad *regni gloriam*. Sed (addam sub manu nascentem conjecturam) si *capilli* sunt *cogitationes*, uti dixi supra, nonne Luc. XII, vs. 7. recte *numerati* idem est, quod *cogitationes* sunt probe notatæ coram Deo. *Matth IV, 16*.

§. 12. Pag. 236. *Labia ejus liliorum instar* &c. *Syne Lippen syn als Lelien*. De *liliis* dignissimus est, qui a Te evolvatur *Dioscorides* Lib. III. c. 116. ubi deprehendes, quæ forte non injucundas suppeditabunt cogitationes allusionesve. Habet quædam, quæ etiam ad *genas*, a Te memoratas, faciunt, *Cassiodorus*, quem indicasse suffecerit. Verum cum de *genis* mentionem fecerim, dicam quæ omisi: nempe elegantissime comparatas *malas* cum *pulvillis aromatum*, aut tuniculis, id est, monticulis, ut ego interpretor, odoriferis, quoniam veteres in *genis* mire laudabant tumores & extuberantias modicas, vide sis *Lactantium* de opificio Dei cap. 10. in iis ego *aromata* explico, purpureum roseumque vel ejusmodi permixtum *colorem*, quales referre consueverunt flores aromaticarum herbarum. Quis ignorat *colorem* crocis, *cariophyllorum*, *violarum*, *roris marini*, *lavendulæ*, *Hyacynthorum*, *Nardi*. Tales

forte flores habuerunt illic aromata, nobis hodie incognita. Adi tamen Dodonæum Part. II. Lib. IX. quo herbæ odoriferæ enumerantur.

§. 13. Pag. 243. *De Syrische vertaalt.* (o) Rejicio tecum interpretationem Syriacam, & Paraphrasin Chaldaicam, quia nullum verbum de *vestimentis*, nullum de *legibus*, nullum de moribus, adeoque quoniam de membris corporis fit mentio, putem ea demum exponenda, neque ulterius extendendum textum quam ipse progrediatur. Atque ideo totus dicitur descriptus jam a summo vertice ad imum talum, quid *vestimenta* facerent *ad Christum*, quid *mandata*, quæ omnia in cælis non conspiciuntur, uti ipse videndus veluti hic descriptus. In membris multa satis sunt mysteria.

§. 14. Pag. 293. μεσότοιχον. *middelmuur*, ad locum Eph. II: 14. non duarum distinctarum domorum, sed separatorum, ut ita dicam quasi cubiculorum vel conclavium, quemadmodum paries vocatur *Medianus* & exprimitur a Stephano in Thesaurò Græco. Optime usus est hac voce Paulus, quatenus respicit ad murum seu potius sepimentum, seu velum distinguens sanctum a sanctissimo penetrali id est, sancto sanctorum, in quo typi & mysteria

(o) Locus Cant. V, 16. *Omne quod in ipso, desiderabile est.* Quod Syrus explicat de *Vestimentis*, Chaldæus autem de *Legibus Ejus*. J. D' O.

steria Christi; quod sepimentum tempore mortis est dilaceratum, haud alio modo, quam caro ab efferis militibus fuit discerpta. Ita quoque dixeris forte sublatum confractumque propitiatorium, quod angelorum oculos in arcam prohibebat inspicere, neque aliter devolutum a sepulcro lapidem, *μεσότοιχον* arcem feminarum discipulorumque conspectum in sepulcrum, in quo Christus fuerat compositus. Nonne itaque rectissime in carne dicitur sustulisse *μεσότοιχον*. Neque *Φραγμὸς* aliud dicit, cum sit sepimentum, quod eleganter dicitur de intermedio muro duo conclavia in una eademque domo seu ædibus distinguente; non vero de diversis ædificiis. Apprime conveniunt similitudines ab agris pascuisque desumptæ, quoniam & illa sunt continua, atque ita posses exponere *het middelhek, of middelschot der astuyninge open of losgemaakt hebbende*, id enim est, *λύσεις*; sicque merito dixeris solum sepimentum sponte concidisse, quo extemplo patet omnibus unus seu communis itus ac reditus, factumque est hoc modo unum conclave, unum perpetuum ac continuum templum. Non displicent, quæ pag. 295. ex Capello & Hammondo subjicis, sed jam mentem meam aperui. Verum si res mei foret arbitrii legerem sequenti distinctione *καὶ τὸ μεσότοιχον τῆ Φραγμῆ λύσεις, τὴν ἔχθραν ἐν τῇ σκεκί ἐαυτῆς, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι παταργήσας*, referens τὴν ἔχθραν ad *μεσότοιχον*. Hæc autem inimicitia

erat νόμος *circumcisionis*, qua odio in primis erant aliis populis Judæi, unde *recutiti* audiunt. Sed quare, quæso, μεσότοιχον *intergerinus* paries? Respondeo, quod unus cultus fuerit primo, una Dei domus, fratrum discordia, diaboli artibus & machinationibus in duas partes divisa & distincta; scilicet in *veram* Dei cultum & *falsum*, seu, uti loqui amat Lactantius, in *veram* & *falsam* religionem, postea tamen in unam coalescendam, sublato, quod Satanæ interposuerat sepimento aut pariete intergerino. Quid? nonne *Cain* & *Abel* unam Adami domum, eadem primo utentem religione diviserunt! Nonne Noachi domum distinxerunt *Japhet* & *Cham*. Sic *Ismael* & *Isaacus* domum Abrahami sunt dispertiti. (Gal. IV: 22.) Isaac domum diduxerunt *Jacobus* & *Esavus* & ne plura subjiciam. Nonne id meridiana luce clarius patet in duobus illis fratribus, cujus historiam ex Lucæ cap. XV. adeo dilucido, pleno, & doctissimo commentario ipse illustrasti. Sed de muro vide numquid habeat, quæ huc revoces, *Cassiodorus ad Canticor. II. vers. 9.*

§. 15. Pag. 301. Doces *καταργήσας* plus significare, quam *λύσας* & mea opinione scitissime. Nam si ita loqui fas sit, pro tempore *solvit* Christus ac *d'misit* sepimentum, carnis nempe dilaceratione. *Hebr. X, 20.* ut per hiatum, vel tempore sublato veli, vel remoti sepimenti, electi introirent, sed postea tamen servavit adeo

adeo ut non tam auferendo, quam *removendo* sepiens velum, nisi malis portam aut transitum concedendo coadunaverit secreta, Januam enim, id est, portam se ipse vocat *Joan. X, 7.*

Sed de ceremoniis dicit *καταργήσας*, id est *plane auferens*, ita prorsus abolens, ut nihil omnino supersit, cum tamen e contrario corpus ejus legatur glorificatum, quod confisum, discerptum a se sepimentum adspicientes Judæi & gentiles, uterque debent summis celebrare laudibus lætissimi tamquam salutis æternæ certissimum monumentum. In carne enim passus est, caro ejus assumpta in cœlum, in qua, carnem dico, utrique genti Judæis & gentilibus via ad salutem reclusa est. Ceterum videtur Paulus hæc scribens ante oculos habuisse verba Moysis *Exod. XXXII: 19.* Huic adde *Hebr. IX: 17.*

Pag. 308. *ἐν ἑνὶ σώματι*: id est, si Grotium sequaris, *in unam societatem*, unum collegium, seu unum corpus - quomodo veteribus dicuntur *corpora fabrorum*; in inscriptionibus apud Gruterum, Reinesium & alios.

Pag. 309. Si Bezam sequi malueris posset dici scripsisse Paulū *in een lichaam*, ut ostenderet, licet duo forent populi, id est; duo distincta corpora, collegia, societates, gentes, sicut unumquodque corpus seu collegium sibi vendicaret unum mediatorem singularem, è contrario solum Christum unum mediatorem;  
Messi-

Messiamque utrique corpori, id est genti, Judæos & gentiles dico, suffecisse. Solebant enim plerumque apud veteres in conficienda pace ab utraque parte, vel unus vel plures mitti legati atque arbitri. Sed Paulus ait hoc non fuisse necesse, cum id Christus *solus* fecerit, huic, utut magnæ rei vel unus sufficiens forte quod esset.

§. 16. Pag. 457. *Een reden op syn pas.* Ad locum Prov. XXV: 11. Verbum opportune dictum &c. Vide sis Martinum de Roa singular. Part. II. cap. 4. ubi docta deprehendes.

Pap. 459. *By goud vergeleken,* aureum epitheton est quod significat *gratum*, jucundum, carum, hinc epitheton uxorum & liberorum apud Gruterum pag. 752. *Aurei* vero homines quinam sint, vide apud Meurs. spicileg. Theocritic. pag. 60, 61. Poëtas antiquos *aureum* pro pulcro dixisse docet Taubmann. ad Virgil. *Aen.* X: 16.

Pag. 459. *In silvere gebeelde* id est *gedrevene Schalen*, in figuratis argenteis. Eleganter hæc conjungit Salomo; in iis enim est. I. Oppositio colorum. Aureus enim color oppositus albo multo magis resplendet. II. Argentum est proximum a primo metallum Job. 22. vs. 25. III. Puritas sermonis indicari videtur argenteo colore recte, namq; comparatur cum argento appellato nobis *capel silver* ad Suetonium in Nerone cap. 44. & Cujacium *Observat.* VII. c. 39.

§. 17. Pag. 472. ἐκβάλλειν *uytstoten*. Ad locum Matth. XI, 38. tribus datis rationibus potest addi dictum ἐκβάλλειν, quia de *satis* sermo est, forte metaphora desumpta a *sparfione* *feminis*, adeo ut quasi plena manu instar *seminum* *projiceret* dominus. Nam præcesserunt voces πολλοὶ & ὀλιγοί, vel quatenus *projiciendo* *indicatur* fervor coloni, qui volebat statim colligi segetes, ne vel pluviis corrumparentur aut ab impiis auferrentur læderenturve aliquo modo, & sane Belgæ interpretes si commode vertunt *uytstooten*, non male fortassis verterim *uytwerpen*, quæ vox *vim* simul & *multitudinem* in se complectitur. Certe *vis* non debet referri ad expulsos messorum discipulos, sed ad expellentem dominum.

§. 18. Pag. 478. *Dubbeld getal*. (p) Sic faciunt Pontificii, mox atque observent frequentem idololatrarum numerum. Memini me ante pauculos annos, Goudæ degens XII. novisse sacerdotes Pontificios, cum Reformati non nisi quatuor, Arminiani duos, Lutherani unum dumtaxat haberent ministrum.

Pag. 482. *Quo semel est imbuta*. Hinc Timotheus Musicus duplicem fertur exegisse mer-

ce-

(p) Dixi in applicatione, magnam in Ecclesiis nostris reformatis esse messem, sed operarios paucos. Adeo ut si recta omnia curarentur, nulla in patria nostra sit Ecclesia, quæ non indigeret *altero tanto numero* Ministrorum. Ad illa verba hoc notavit Vir Clarissimus. J. D' O

cedem ab iis qui alio fuerant usi præceptore, teste Quintiliano *Lib. II. cap. 3.*

Pag. 485, *S hynt in unven obsigt &c.* Imo maxime; nam unusquisque melior suum habet assignatum proprium campum. Non enim necesse est plures simul messorum uno in campo dejiciant aut succidant segetes. Quotusque agelli minoris dominus propria colit, curat & administrat arva & sane ecclesia in pagis minoribus haud aliter ac una villa una messis, unus agellus considerari debet.

Pag. 488. *Gy ook selfs.* Haud aliter ac servi & ministri villicorum curant res dominorum suorum aut colonorum. Pastor utique est dominus, ipsi enim sunt servi & ministri: Hæc sunt, doctissime D' Outreini, quæ inter legendum tuum elaboratissimum libellum sub manu nata sunt. Si quid in iis laudabile, penes te esto iudicium, quo vel cadent vel stabunt. Hoc equidem obnixè rogo, Tibi persuadeas, me non profiteri Theologiam, adeoque non posse a me requiri, quæ plena manu effuderint ejus facultatis studiosissimi; Quare dico, faciliorem, si aberraro, me mereri veniam. Vale & me ut facis amare pergito. Dabam Harderwici a. d. XXVI, Decembris. clcccii.

JACOBI HASAEI,  
De  
INQVINATIS SARDI-  
ENSIUM VESTIMENTIS,  
Observatio ad illustrationem Apocal.  
III, 4.  
qua alia simul & S. Codicis & gentilium scripto-  
rum loca elucidantur.

ARGUMENTUM.

Vulgarem loci interpretationem non quidem esse sper-  
nendam: at hic primo modo respici ad *tincturam*  
*purpurariam Sardinicarum vestium*. §. 1. *μολύειν*  
*ιμάτια* elliptica locutione notat *vestes purpura tinge-*  
*re*. Multa Apocal. loca ob ellipses crebro *obscura*.  
□7 & *αίμα* notat *vinum*. Ezech. XIX, 10. Apoc.  
XIV, 20. XIX, 13. XIII, 18. illustrantur. §. 2. Quia  
*tinctione* naturalis color vestium *polluitur*, hinc  
*μολύειν* & *μολυσμός* de *tinctura vestium* & maxime  
*rubrarum*. §. 3. ut & *μιάινω*, *μιασμός*, & *φορέω*  
de *tinctura purpureae*. Item *φθείρειν* & *φθορά* de  
*mixtione colorum* & *tinctione*. Locus Homeri ut &  
Lycophronis elucidatus. §. 4. Priora vocabula pro-  
prie *pollutionem sanguinis* indicant. Sanguis ut  
*purpureus* vocatur ita *purpura* vicissim *sanguinea*. Sic  
& *uvae* & *mora* cum *purpurea* tum *sanguinea* dicta. §. 5.  
Similes *latinorum phrasas purpura inficere, inquinare,*  
*violare, fucare, corrumpere, vitiare.* Juvenalis Scho-  
liastes tentatus. *Medicare, venenum, Φάρμακον* de  
*tinctione purpureae*. §. 6. Uti in VII. Epistolis Asiae ad  
Class. III. Fasc. II. R. ejus-

cujusque ritus alluditur, ita hic ad quendam Sardiensem. Nicolaitae, thronus Satanæ apud Pergamēnos. Apoc. II, 13. gentes Aesculapii miracula illis Christi opposuerunt. §. 7. Sardibus, veit in uniuersa Lydia, vestimenta aliaque infecta purpura. Lydia purpuraria Actor. XVI, 14. Lydia illic nomen proprium. Plures foeminae Lydiæ dictæ. Nomen gentiæ etiam proprium esse potest. Clariss. Biel diss. de Purpura Lydia. §. 8. De eadem materia spicilegium. Lydorum foeminae amictæ purpura. Hercules purpura Omphales vestitus. Purpura Lydia saepe Tyria, Sidonia, Gaetulica &c. dicta. §. 9. Bassara vestis Lydia & Bacchantium: quæ purpurea fuit. Pollux & Schol. Horatii pluribus illustrati vestitus Bacchantium purpureus & croceus. Bacchæ dictæ Bassarides & Bassarae. Bassara est à בָּסָרָא: Conjecturae cur omphax בָּסָרָא, & aurum בָּצָר, vulpesque Βάσσαραι & Βασσαίdes vocatae. §. 10. Etymon urbis Bozrae. Et LXIII, 1. sq. elucidatur. ellipsis vocis אֲרָץ §. 11. Loca Claudiani & Ouidii de purpura Lydia. Arachne ejusque Pater Idmon & mater in Lydia claruere tinctura purpureae. Apollo et Midas vestiti ejusdem regionis purpura. Croesi vestitus. §. 12. Sardienses pariter vestes croco infecerunt. Tmolus mons Lydiæ abundans croco. Servius explicatus & notatus: Baccho sacer Tmolus qui croco delectatur. Crocus & purpura ut synonyma permutantur, jungunturque cum de vestitu rubicundo mentio. §. 13. Aristophanis locus de Sardinica purpura elucidatus. Καύρααι Persicus vestitus & Purpureus. Sardes à Persis deviētæ. §. 14. Alius Aristophanis locus expensus, nonnulla de purpura Caria & Milesia. Miletus urbs Cariae. Homerus denuo illustratus. Coa purpura. §. 15. Cum purpureorum tapetium mentio, cogitandum de Milesis & Sardinicis. Iis olim indormiebant. §. 16. Color albus & vestes albae in SS. litteris oppositæ purpureo & rubicundis Apoc. XVII, 4. Luc. VII, 25. lux,

lux. Christus *purpura* amictus *albis* exutis. §. 17. Et alii scriptores *vestes λευκάς* opponunt *purpureis* & βασιαῖς; ut & saepius colorem *album* & *purpureum*. Lecti *eburnei*. Amos. VI, 4. Cant. V, 10. Joh. IV, 35. illustrantur. §. 18. Prout *albae* vestes symbolum *santitatis* in SS. litteris, sic *purpureae* & *rubrae* peccatis *contaminatorum*. Esaiæ LXIV, 6. §. 19. Tum etiam *purpuram* gestare inter ipsas gentes *deliciosorum* hominum indicium fuit, relicta illa *Mulieribus*, *histrionibus*, & *Bacchantibus*. §. 20.

Apocalypf. III. vs. 1. 4. 5.

Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν ΣΑΡΔΕΣΙΝ ἐκκλησίας γράψον - - - ἔχεις ὀλίγα ὀνόματα καὶ ἐν ΣΑΡΔΕΣΙΝ ἃ ἔκ' ἘΜΟΛΥΝΑΝ ΤΑ ΙΜΑΤΙΑ αὐτῶν, καὶ περιπατήσασι ἐν λευκοῖς, ὅτι ἄξιοί εἰσι. Ὁ νικῶν ἔστος περιβαλεῖται ἐκ ἱματίοις λευκοῖς κ.τ.λ.

I.

**L**Oci hujus illustrissimi concinnitas, & quæ sub arcani sensus obscuriori latet cortice elegantia, cum curatiori intelligentia verborum ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια arctissimis vinculis conjuncta est. Quantumvis enim eadem id significant alias quod iis interpretes ad unum omnes dant significationis *inquinarunt vestimenta*, atque ex aliis S. Codicis locis ubi *inquinatarum sordibus vestium* mentio fit Epist. Judæ vs. 23. Zachar. III: 3. 4. Esaiæ LXIII: 1. sqq. &c. lucem posse nancisci videantur: lisdem tamen, hoc in

loco positis, certisque rerum munitis, unde ar-  
 canior sensus dependet, circumstantiis; ali-  
 quid *privi* & magis *proprii* subesse hariolor.  
 Dum enim attenta mente circumvolvebam  
 (1) *μολύνειν ἱμάτια* heic loci *contrarium* esse se-  
 quenti phrasi *περπατεῖν ἐν λευκοῖς* adeoq; vesti-  
 menta *ἐμολυσμένα* opponi **ALBIS** vs. 4.5. Tum  
 (2) quod illi qui *ἱμάτια ἐμόλυναν* in censum *repro-*  
*borum*, contra qui *albīs* amicti in numerum  
 Christi *amicorum* referantur, ut ex orationis  
 apertum est indole: Maxime vero (3) hæc  
 scribi *angelo Ecclesie SARDIENSIUM*, quod  
**SARDIBUS** sint *pauci* qui *vestimenta* *ἐκ ἐμόλυναν*  
*ἱμάτια*. His, inquam, pensitatis, continuo  
 in eam cogitationem descendi, omnino hic  
 ad *privum* quendam *Sardibusque* nobilem ritum  
*vestes inquinandi*, sacrum scriptorem mentem  
 intendere, quem non alium esse ac **LYDI-**  
**AM & SARDIANICAM** *frequentem* admo-  
 dum **VESTIMENTORUM TINCTU-**  
**RAM PURPURARIAM** me comprobaturum  
 confido, si id evictum dedero (a) Phrasin  
*μολύνειν ἱμάτια* perquam optime notare posse  
*vestes PURPURA TINGERE*. *Sardibus* au-  
 tem (b) & in universa *Lydia* creberrimas fu-  
 isse *officinas purpurarias* quibus *vestimenta* rubro  
 colore inficiebantur: Porro (c) *vestes purpu-*  
*reas & colorem purpureum*, toties opponi *albo*  
 ut quidem & heic loci contingit: Dein (d)  
*purpureas vestes* in **Codice Sacro** frequens sym-  
 bolum

bolum esse peccatis contaminatorum hominum, quorum etiam in ordinem, qui ἱμάτια ἐμόλυναν, referuntur. Denique (e) apud ipsas gentes fuisse purpuram delitiosorum luxuriosorumque indumentum, quo inde eo apertius constet, cur, qui inter Sardienses frequenti adeo numero purpura vestiti erant, tantum non atro carbone notentur.

II. Observandum idcirco phrasin ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια esse ellipticam quæ post ἐμόλυναν sup- plenda est voce subaudienda περφόρα purpura, vel φοίνικι, aut φοινικῶ χρώματι, aut nuda voce χρώματι, quo intelligas hic tincturae vestimento- rum purpureae sive quæ affinis est coloris signi- ficationem intendi: Pari elliptica usus est lo- cutione Ovidius L. II. Amor. Eleg. 5.

MAEONIS Assyrium fœmina tinxit ebur  
Tinxit, hoc est murice, ostro, purpura &c.  
Ejusmodi vero ellipsis, utut difficilioribus inventu, ne nostra aliqua ex parte dubia vi- deatur, scias plenam esse Apocalypsin, librum omnium obscurissimum. Paucis id confirmasse exemplis, ne nimis devii simus, satis sit. Ca- pitis XIV, 20. verba ἐξῆλθε αἷμα ἐκ τῆς ληνῆ exhibat SANGUIS ex torculari, in magnam ἀπο- ρίαν interpretes, hic de sanguine cogitantes, conjecerunt. Verum, subaudita voce αφύ- λης post αἷμα innui rubicundum uvarum succum quem Hebræi דִּינְי דִּי sanguinem uvarum vocant, rectissime nuper docuit magni patris filius ἰφάμιδ. J. H. Majus in observatione ad

eum locum quæ T. XIV. Hist. Crit. Reip. Litter. inserta est. Sane αἶμα quidem dicitur prodiisse ἐκ τῆς ληνῆ ex TORCULARI. Verum cum illud *torcular* plenum erat BOTRIS tantummodo, ut ex universo ordine *vindemia*, qui hic accuratissime describitur vers. 18-20. manifestum est, inde & nullus ac UIVARUM *sanguis* exinde egredi calcatis uvis potuit. Similem in modum & Apocalypseos alium locum interpretandum censeo Cap. XIX. Ille enim cuius *vestimento* & femori inscriptum est *Rex regum* & Dominus dominantium vs. 16. dicitur indutus fuisse ἱματίῳ βεβαμμένῳ "AIMATI *veste tincta* SANGUINE. vs. 13. Illud autem αἶμα non aliud esse quam σαφυλῆς UIVARUM exinde erudimur, quod ille vs. 15. dicatur calcasse TORCULAR: καὶ αὐτὸς πατεῖ τὴν ληνὸν τῆς οἴνου τῆς θυμῆ καὶ τῆς ἐργῆς τῆς θεῆ τῆς παντοκράτορος. Et ipse calcat TORCULAR VINI *excandescentiæ* & *iræ* Dei omnipotentis. Exinde itaque, quod *torcular* presserat Christus, *vestimentum* nactus est βεβαμμένον αἶματι scilicet σαφυλῆς UIVARUM SANGUINE. Quanquam enim & hic de *sanguine* hostium cogitare debeas, tamen *literalis* sensus & *grammaticus* priorem de *sanguine* uvarum ejusque *calcatione* præmitti jubet. *Sanguinis* enim *rubicundus* uvarum *succus* symbolum est, uti *torcularis* *pressio* hostium *peffundationis*. Alluditur præterea ibidem manifesto ad locum Gen. XLIX: 11. ubi æque de Christo hæc legis: *lavabit in VINO*

NO (quod in Palæstina rubrum est) VESTI-  
 MENTUM suum ⲉ in ⲟⲩⲛⲃⲓ ⲟⲩ ⲁⲓⲙⲁⲛⲓ ⲁ-  
 Φυλῆς SANGUINE UVARUM AMICTUM  
 suum. Item ad Esaiaē LXIII: 2. ubi de eo-  
 dem Edomi victore. Quare RUBRUM est IN-  
 DUMENTUM tuum ⲉ VESTIMENTA TUA  
 sicut CALCANTIS in TORCULARI? Nescio  
 an non ad eandem ellipsin referri debeat lo-  
 cus Ezech. XIX: 10. mater tua ⲓⲛⲃⲓ ut VITIS  
 ⲛⲃⲓⲙ in SANGUINE tuo, quo in ⲟⲩ sanguine  
 subaudiatur ⲟⲩⲛⲃⲓ UVARUM, ut plene di-  
 citur Gen. XLIX: 11. Deut. XXXII: 14. quo-  
 niam ibi de ⲓⲛⲃⲓ vite pariter sermonem esse vi-  
 demus. Porro Apocal. XIII: 18. ἀριθμὸς τῆ  
 θηεῖα numerus bestiae frustra putatur diversus  
 esse ab ἀριθμῷ τῆ ὀνόματι τῆ θηεῖα. Est enim  
 prior ellyptica locutio, qua post ἀριθμὸς ex  
 præcedenti vs. 17. repeti debet ἀριθμὸς τῆ  
 ὀνόματι ut doctissimus interpres C. Viringa  
 uberius docuit. Alia loca ἐπιπικρῶς scripta  
 prudenti lectori facile obviam venient Apo-  
 calypsin curate evolventi quibus ex hac ani-  
 madversione magnam lucem posse affundi sen-  
 tiet. Nos, iis missis, nostri loci enodatio oc-  
 cupatos ulterius habebit.

III. Quamvis vero μολύνω proprie notet  
 polluo, inficio, inquino, contamino: tamen μολύ-  
 νειν ἱμάτια, cum vestimentis jungitur verbum,  
 per quam commode indicare potest tingere  
 vestes aliquo colore quod alias βαπτειν dicitur,  
 inter quos color purpure omnium longe cele-

berrimus est atque splendidissimus. Id ipsum enim partim ex verbi *hujus* aliorumque ipsi *synonymorum* natura & indole, partim ex ipso usu eorundem haud difficile probatu est. Quia enim *intinctione vestium* aliarumque rerum *adventitius* color alterum qui *naturalis* erat, *violat* & *mixtione* illa *polluit* quasi & *corrumpit*: hinc cum de *colorum mixtione* & *intinctione* scriptoribus Græcis sermo est, utuntur sæpe numero vocibus quæ propria notione *pollutionem*, *corruptionem*, *violationemque* rerum alias indicant, *μολύνειν* quippe, *φορῶζειν*, *μιαίνειν*, *φθείρειν*, *συμφθείρεσθαι*, & *μολυσμὸς*, *μιάσεις*, *φθορὰς* iis frequentissimas his de rebus esse voces pervidemus. Locus vix erit id luculentius illustrans ac quem *Porphyrio* debemus L. IV. de *Abstin. Anim.* §. 20. inquenti. Καὶ γὰρ πῶς καὶ ὁ ΜΟΛΥΣΜΟΣ (nota ipsam vocem qua *Johannes* utitur) καὶ ἡ ΜΙΑΝΣΙΣ δηλοῖ τὴν ΜΙΞΝ τὴν ἰεπερογενῆς πρὸς ἕτερον, καὶ μάλιστα ὅταν ΔΥΣΕΚΝ ΠΤΟΝ γένῃαι. Ὅτεν καὶ ἐπὶ τῶν ΒΑΜΜΑΤΩΝ ἃ δὴ διὰ ΜΙΞΕΩΝ συνίσταται εἶδες ἄλλῃ ἄλλῃ συμπλεκόμενα, ΜΙΑΙΝΕΙΝ φασίν.

Ὡς δ' ὅτε τις ἴ' ἐλέφαντα γυνὴ Φόινικι μίμη, καὶ ἔμπαιιν τὰς ΜΙΞΕΙΣ ΦΘΟΡΑΣ οἱ ζῶγοντες λέγουσι. Nam *POLLUTIO* & *INQUINATIO* significat heterogenei unio cum altero *MIXTIONEM* præsertim cum alteri inhaeret, nec facile elui potest. Unde de *TINCTURIS COLORUM* quæ *MIXTIONE* constant, quando scilicet una species cum altera *COMMISCETUR*, dicunt *μιαίνειν* *POLLUE*

LUERE(Homerus)perinde ac mulier ebur tinxerit  
 purpura. Et rursus pictores colorum mixturas  
 φθογῆς i. e. CORRUPTIONES vocarunt. Ve-  
 rum non modo de quavis tinctura, sed & de rubra  
 & quidem in vestimentis Græcos voce μολύνειν  
 usos esse apparebit ex Alexandrina versione  
 Esaiæ LXIII: 4. cum praeter ea quæ illic in  
 Hebræo Græcoque textu edito leguntur, ad-  
 dunt nonnullæ editiones & scripta Patrum  
 καὶ πάντα τὰ ἘΝΔΥΜΑΤΑ μὲ ΕΜΟΛΥΝΑ ἔσ  
 omnia VESTIMENTA mea POLLUI. Hic au-  
 tem agi de rubro colore qui vestitus victoris ex  
 Edomo accesserat, in dubium vocari non pot-  
 est, ex iis quæ vs. i. sqq. legimus. ἘΡΥΘΗΜΑ  
 ἱματίων ἐν Βοσῶρ - - Διατί σε ΕΡΥΘΡΑ τὰ ἸΜΑ-  
 ΤΙΑ καὶ τὰ ἘΝΔΥΜΑΤΑ σε ὡς ἀποπατήσῃ ληνῆ;  
 Latet itaque & hic in verbo ἐμόλυνα eadem  
 quæ in nostro loco ellipsis vocum αἵματι, Φοί-  
 νικι, αἵματι σαφυλῆς, similiumve.

IV. Et reliquæ synonymæ voces antea indica-  
 tæ eandem μολυσιμῶν confirmatum eunt signi-  
 ficationem. Quis est qui nesciat μαιίνειν æ-  
 que esse polluere ac μολύνειν? Ejusdem quippe  
 significationis voces sunt, unde μολυσιμῶν &  
 μίανσιν, loco memorato, junxit Porphyrius, &  
 Hesychius μίανσιν exponit μεμολυσμένος juxta ac  
 Homeri scholiastes ad Il: π': v. 795. μίανθησαν  
 explicat ἐμολύνθησαν. Hinc & ea, quæ ante  
 dicta est de causa, & ipso vocis usu μαιίνω de  
 vestis rubicundo colore tinctione usurpatur. Quæ  
 enim antea in loco Es. LXIII: 4. quasdam edi-

tiones verbo ἐμόλυνε exhibere diximus, aliæ habent ἢ πάντα τὰ ἸΜΑΤΙΑ μὲν ΕΜΙΑΝΑ, ubi de rubicunda veste agi indicavimus. Apprime vero huc referenda est de ipsa purpurea intinctione perillustri apud Homerum locus, nostro maximam facem accendens, utpote quo de Lydia purpura (Sardis enim erat Lydiae metropolis) mentio fit æque ac in nostro Apocalyp- tico. De vulnerato enim Menelao memo- rat poëta Il. δ': v. 140. sq. quod ex ejus vul- nere similem in modum sanguis profuxerit,

Ὡς δ' ὅτε πῖς τ' ἐλέφαντα γυνή ΦΟΙΝΙΚΙ  
ΜΙΗΝΗ  
ΜΗΘΝΙΣ ἢ Κείρα, παρῆιον ἔμμενα ἴπ-  
πων.

Perinde ac si ebur PURPURA TINXERIT Mu-  
lier

ΜΑΕΟΝΙΑ (i. e. Lydia) vel Caria, maxilla-  
re ut sit equorum.

Μιάνω enim heic loci nihil aliud est ac tingo, & quidem φοίνικι juncto, colore purpureæ, ut partim ex re ipsa, partim ex scholiaste & Eustathio patet qui μίμη explicuerunt per χρίση, βαΐση unget, tinget. Optime & id ipsum ex Plutarcho discimus, qui ad hunc Homeri locum mentem intendit, in L. de Ei apud Delphos p. 393. & ad poëtæ illustrationem jam à. cl. Bos notatus est Cap. XXX. Observ. Crit. ἑτέρω γὰρ ΜΙΞΕΙ πρὸς ἕτερον ὁ ΜΙΑΣΜΟΣ. ὡς πρὸς ἢ Ομηρος ἐλέφαντά πινε ΦΟΙΝΙΣΣΟΜΕΝΟΝ ΒΑΦΗ μιάνεσθαι φησι. Quando res cum altera

MISCETUR dicitur μιασμός pollutio. *Uti quando Homerus ebur colore PURPURAE TINCTUM dixit μιάινεσθαι seu pollui.* Addo Porphyrium qui loco antea citato probaturus μιάινειν esse εἶδος ἀπὸ ἀλλῶ συμπλέκεσθαι & indicare μίξιν βαμμάτων, hunc ipsum pariter Homeri citat locum. Idem & Plutarchus facit, quem imitari Porphyrium facile Kuffero crediderim id ad Aristoph. Pluti Scholiasten notis v. 530. suspicanti. Dicit enim L. VIII: Conviv. quæst. 5. τὸ ΒΑΨΑΙ κέκληκεν ΜΙΗΝΑΙ ὁ ποιητής. TINGERE coloribus Poeta (Homerus) dixit μιῆναι i. e. contaminare, polluere. Optime enim vidit Cl. Kufferus illic pro διῆναι legendum esse μιῆναι & Plutarchum ad memoratum respicere locum Homeri. Eodem modo & imitator Homeri Ovidius reddidit L. II. Amor. Eleg. 5.

MAEONIS (seu Lydia) Assyriam foemina  
TINGIT ebur.

Propius autem ad verbi μιῆναι propriam significationem attendens Virgilius VIOLARE OSTRO Lib. XII. Aen. v. 67. Notum præterea est simili modo φορῶ & φορῶσσω significare polluo contamino, ut φορῶναι σῆτον ἢ κρεὰ polluere panem & carnes apud Homerum Il. X: v. 21. Aequè tamen pro tinctura purpure usus est eodem verbo Lycophron Cass: v. 864.

Ἄβροπῆνης ἀμφιβαῖνεσθαι πέπλους

ΚΑΛΧΗ ΦΟΡΥΚΤΟΥΣ - -

molles vestes circumdare PURPURA TINCTAS.  
Recte enim ultima verba explicat Tzetzes

πορφύρα βεβαμμένος. Est enim κάλλι Purpura, ut idem commentator docet, & Bochartus, Hieroz. p. II. L. IV: Cap. XI. Salmasius, comment. ad *Aram Dosiadae primam*. p. 192. sqq. Ed. Lugd. in Mus. Philolog. aliique pluribus comprobarunt: Idem plane notandum de voce φθορᾶς & verbo φθείρειν, quæ, utut propria notione corruptionem involvant, tamen eadem quam antea de his similibusque vocibus indicavimus de causa, & mixtionem colorum & tincturam exhibet. Hinc non solum vox φθορᾶς de mixtione colorum est propria pictoribus, ut ex Porphyrio monuimus, sed & rerum aliarum & maxime vestium similibusve tincturibus, prout ex Plutarcho apparet L. de Ei apud Delphos p. 393. καὶ τὰ ΜΙΓΝΙΜΕΝΑ τῶν ΧΡΩΜΑΤΩΝ οἱ ΒΑΦΕΙΣ ΦΘΕΙΡΕΣΘΑΙ, καὶ ΦΘΟΡΑΝ τὴν ΜΙΞΙΝ ὀνομάζουσιν Et de COLORIBUS quæ MISCENTUR dicunt TINCTORES (vestium, eboris, purpuræ &c.) φθείρεσθαι i. e. corrumpi & ipsam MIXTIONEM vocant φθοραν i. e. corruptionem. Sed memores sumus hanc verborum φθείρειν, φθορᾶς, φθείρεσθαι & συμφθείρεσθαι notionem pluribus docuisse pereximum Kusterum ad Aristoph. Plati Scholia. v. 530. quo lectorem ablegatum cupimus, grato interea animo agnoscentes nos unum alterum, ve locum, quem aliud ac ille agentes adduximus, ejus indicio debere.

V. Neque elegantia destituitur eadem horum verborum *μολύνω*, *μιάινω*, & *φορύνω* significatio. Præcipue quippe *singula* usu veniunt de *Pollutione SANGUINIS*, quæ cum altera de *tinctione purpure* singulari & cognata quasi affinitate juncta est. Ita (1) de victore Idu-mæorum qui *sanguine* hostium vestes *cruentaverat*, dicitur quod *ἐμόλυνε τὰ ἐνδύματα* Est LXIII: 4. Illustri enim in loco eodem præter cetera respicitur ad *cruorem* quo in pugna ex hostium cæde militum vestes consperguntur. Similiter (2) *φορύνω*, ut *φορύσσειν αἷματι* *polluere sanguine* apud Homerum II: Σ: v. 335. & maxime (3) *μιάινω*, quapropter, toties *μιάινειν αἷματι* & *μιαρὸς αἷματι* apud Homerum reperimus. Vide Iliad. π: v. 795. II. ω: v. 420. & Herodianum L. II: Cap. 5, 9, & 13. atque inde Hesychius *μιαρὸς pollutus* exponit *αἷματι μεμολυσμένος*, *inquinatus sanguine*. Quia vero *purpureus* & *sanguineus* color simillimi sunt prope modum aspectu, utroque multum *ruboris* secum trahente, pariterque ut *sanguine*, eodem modo & *purpura* res inficiuntur, quod *pollutione* fit partim, partim *tinctione*, splendidissima nec minus *purpura* ex *sanguine* conchæ marinae conficitur, qua de re differentem vide Plinium L IX: c. 38. Inde est, quod res *rubicunde* vocentur nomine eodem cum *purpureæ* tum vero *sanguineæ* promiscuis epithetis. *Sanguis* idcirco vocatur *purpureus* *πορφυρῆν αἷμα* Poetis, ut Homero II: ρ: v. 360.

- - ΑΙΜΑΤΙ δὲ χθών  
 Δεύετο ΠΟΡΦΥΡΕΩ - -

Statius L. II: Sylv.

O ubi PURPUREO *suffusus* SANGUINE  
*candor*

Quo spectat comparatio versu antecedenti  
 Homericō Il: δ' v. 140.

Αυλικα δ' ἔρρεεν ΑΙΜΑ κελαϊνεφές ἔξ ὠτει-  
 λῆς

Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντος γυνὴ ΦΟΙΝΙΚΙ  
 μίην

Virgilius L. IX. Aen: v. 39.

PURPUREAM *vomit ille* ANIMAM &  
*cum* SANGUINE *mixta*

*Nina refert moriens - -*

*Purpurea anima est purpureus sanguis interprete Servio aliisque. Pertinet eo Homeri locutio qua eorum mortem violentam qui multo sanguine misso occubuerunt, vocat πορφύρεον θάνατον mortem purpuream. v. Il. ε: v. 83. E contrario autem & purpura & murex & ostrum dicitur sanguineum, ut apud Virgil: XII: Aen. v. 67.*

*Indum SANGUINEO veluti violaverit OSTRO*

*Et purpure Tyrie laudem summam si color sit SANGUINIS concreti, nigricans aspectu dat Plinius L. IX: Cap. 38. Inde Pollux L. I: §. 59. succum illum concharum, quo vestes tinguntur, vocat aliquoties αἷμα, atque de Herculis cane ejusdem repertore §. 46. ὁ δὲ ΛΥΘΡΟΣ ἄρα τῆ χειλῆ, τῆ κυνὸς ΑΙΜΑΞΑΣ ἘΦΟΙΝΙΣΣΕΤΟ SAN-*

SANGUIS *canis labia* CRUENTANS *rubore in-*  
*fecit* PHOENICIO. Ita & CRUOR *conchylii*  
 occurrit in *L. 4. Cod. de Vestib. Holober.* Junge  
 his observationes Salmasii Epist. II. de Cruce,  
 Pariter, ut *moris* tribui succum *sanguineum* pro-  
 bavimus in T. IX: Histor. Crit. Reip. Litter.  
 commentantes ad fragmentum Hesiodicum  
 apud Fulgent. L. III: c. I. sic æque *purpureum*  
 dari notemus. Ovidius L. IV: Metam. de  
*moro* Pyrami *cruore* conspersa v. 130. sq.

*Arborei foetus aspergine cædis in* ATRAM  
*Vertuntur faciem, madefactaque* SANGUI-  
 NE *radix*

PURPUREO *tingit pendentia* MORA  
*colore*

Etiam *uvis* toties inesse *sanguis* dicitur, ut ibi-  
 dem loci monuimus sicut & §. 2. hujus diff.  
 nec minus tamen *purpureus* earum color ex-  
 hibetur. Ovidius L. II: de Arte Amandi

*Plenaque* PURPUREO *subrubes* UVA  
*mero*

Alludit eo Horat. L. II: od: 5: v. 9. -

- *Tolle cupidinem.*

*Immitis* UVAE : *jam tibi lividos*

*Distinguet autumnus racemos*

PURPUREO *varius* COLORE

Et hinc laudans vitam rusticam Epod: 2: com-  
 mendat v. 20. UIVAM *certantem* PURPURAE  
 ubi vetus Scholiastes *UVAE maturae* habent co-  
 lorem PURPURAE. Similiter & *vites* PURPU-  
 REAS memorat Virgil. II: Georg. v. 95. &  
 PUR-

PURPUREOS *racemos* Bacchi munera Martial.  
L. VIII: Epigr. 68. atque *uvas rubentes* Virgil:  
Ecl: IV: v. 26.

VI. A *similibus* autem locutionibus, quas  
de *tingtura purpura* ex Græcis citavimus scri-  
ptoribus & cum Apocalyptica illa *cognata* sunt,  
neutiquam abhorrent *Latini*, utpote quibus in-  
quinare, *insicere* &c. quæ de *sordibus* alias & vi-  
tiorum maculis usurpantur voces, idem est ac  
*tingere* & maxime *cruore purpura*. Inde Mar-  
tialis dixit L. IV: Epigr. 4. *vellus bis MURICE*  
INQUINATUM, quod *διβαφορ* est seu *bis pur-*  
*pura tinctum*, *Tyriosque incoctum rubores* ut Virgi-  
lius loquitur III: Georg. v. 307. Alias enim  
Martialis phrasi *tingere vestes murice* utitur, ut  
L. IX: Ep. 63. L. V: Ep. 24. & *saturare vestes*  
*murice* L. VIII: Ep. 48. Pariter & *insicere* sæpius  
usu venit pro *tingere purpura* velut in l. 4. C.  
de *Vestib. Holob. S auratis S intinctioe Sacri*  
*Muricis*. Quæ TINCTA *conchylio* (i. e. pur-  
pura) quæ nullius alterius permixtione contexta  
sunt, proferantur *ex ædibus tradanturque tunicae aut*  
*pallia ex omni parte texture cruore INFECTA*  
*conchylii*. Nulla *stamina subtexantur TINCTA*  
*conchylio*, nec ejusdem *INFECTIONIS argute*  
*pectine solidanda fila decurrant*. &c. Sic INFE-  
CTORES *crocotarii* qui *croco* vestimenta tinge-  
bant *κροκοβαφορ* occurrunt apud Plautum Au-  
lul. Act. III: sc. V. v. 47. Claudian: L. I: de R.  
Prof. v. 272.

- *Niveos INFECIT PURPURA vultus*  
Vitruvius L. VII: c. 13. *Id autem (Ostrum) ex-*  
*cipi-*

excipitur ex conchylio marino ex quo PURPURA  
 INFICITUR. Plinius L XXII: Cap. 2. jam  
 vero INFICI vestes scimus admirabili fuce, loquens  
 de purpureis & Coccineis. Emendabis hinc ve-  
 terem Juvenalis Scholiasten ad Sat: X: v. 38.  
 Tunicam Jovis togam palmatam dixit Tyria pur-  
 pura confectam, hoc est Sarrana. Legendum  
 enim fortasse Tyria purpura INFECTAM,  
 quippe purpura inficere dicimus non conficere. Ve-  
 rum & styli hujus Scholiastis non usque quaque  
 paris elegantiae ratio, vulgatam defendet. Sed  
 & violare latini de purpura mixtione usurpant  
 quod proprie est corrumpere, polluere, vi perde-  
 re. Virgil. L. XII: Aen. v. 67.

Indum Sanguineo veluti VIOLAVERIT ostro  
 Si quis ebur

Observat egregie Servius hunc locum poë-  
 tam debere Homero & ad similitudinem illius,  
 quem antea protulimus, fictum esse. Home-  
 ri, inquit, comparatio est, unde & violaverit  
 transtulit. (μῆνν) Ille enim ait. ὡς δ' ὄτε κ. γ. λ.  
 Recte! Nam violare est μᾶίνειν, μολίνειν Glos-  
 sis violat, μᾶνει, & violare per μᾶναι explican-  
 tibus. Aequè vero & corrumpere purpura di-  
 cunt Romani. Statius L. I: Achill.

Ebur CORRUMPTUR ostro  
 quod nec minus propria notione vitiam inclu-  
 dit, unde & vitiare eadem in re usu venit.  
 Persius Sat: II: v. 65.

Et Calabrum coxit VITIATO MURICE vellus  
 Commode & huc trahimus quod purpu-  
 ram

ram sæpe venenum vocent Martial. L. VIII:  
Ep. 28. de purpura Laconica

Te nec Amyclæo decuit vivere VENENO

Virgil: II: Georg. v. 465.

Alba nec Assyrio fucatur lana VENENO

Nec Casia liquidi CORRUMPITUR usus  
olivi

ubi nota corrumpi & fucari idem esse in mixti-  
one rerum. Uti vero venenum sæpius notat  
medicamentum, sic φάρμακον Græcis & vene-  
num Latinis. Vide JCTos ad L. 236 ff. de Verb.  
Signif. unde φάρμακον medicamentum, & de co-  
lorum tinctura; Uti sic dicitur fucus quo Lyfira-  
tes canos capillos ἐμέλανε seu nigros reddidit apud  
Aristoph. Eccles. vs. 530. Hinc medicare pro  
purpura tingere reperimus apud Horat. L. III.  
od. 5. vs. 26.

- - Neque amissos COLORES,

Lana refert MEDICATA fuco.

Medicare enim aequè notat veneno inficere ut  
Medicata veneno tela apud Silium Ital. L. VII.  
vs. 453. quæ φαρμακώδη τοξείματα Græcis au-  
diunt.

Quemadmodum proinde Homero μαιίνειν  
φοίνικι, Lycophroni φορύσσειν κάλχη & latinis  
inquinare ostro & vitiare &c. est purpura tingere;  
quid adversi est, quo minus & in hoc Apoca-  
lyptico loco verbum μολύνειν, subauditis φοί-  
νικι vel κάλχη κ. τ. λ. idem significare possit  
cum & ipsam vocem de tinctura vestium rubi-  
cundarum usu venire observaverimus?

VII. Illis vero si ea accedat animadversio hæc ad *Ecclesiam* scribi SARDIENSIVM ejusque *angelum* v. l. i. quis diffiteri velit, ea, quæ de civium ejus reipublicæ *μολυσμῶν ἱματίων* dein referuntur, exinde splendidissima luce perfundi, quod in ea civitate simul atque in universa *Lydorum* regione TINCTURA PURPURARIA quondam, atque eopse tempore, quo hæc Johannes litteris mandavit, ita flourerit, ut eo nomine præ ceteris Asia civitatibus fuerit illustrissima commendatissimaque? Alium enim *ἱματίων μολυσμὸν Sardibus* usitatum fuisse vereor quo ullo ostendi possit exemplo. Quocirca ut hic noster admittatur, nihil esse æquius aut concinnius arbitramur. Sum enim in ea sententia, cui hæc meditatio explicatioque loci universa fere innititur, sin minus *singulis* his, saltem *plurimis* ad septem Asiae Ecclesias *Epistolis Apocalypticis* alludi *unaquaque* ad peculiare quosdam *ritus, Historias,* aut *singularia doctrine capita* vel tum temporis quo hæc scripta sunt, vel olim etiam in eadem, ad quam litteras has dedit Johannes, civitate orta nobilitataque. Eo ipso & mihi maxime arridere *Historicam harum Epistolarum* explicationem, quam *Witsius Miscell. Sacr. T. I. L. III. Cap. III. de industria* urfit, unusquisque facile intelliget, quantumvis cum iis qui *literali sensui allegoricum propheticumque* superstruendum esse affirmant, mihi nulla hac quidem in causa disceptationum ratio intercedit. *Jacobo*

etiam *Rhenferdio*, viro summo, hypothesein nostram de allusione ad *privos ritus dogmataque* his in locis verosimilem visam fuisse, olim fando accepi. Placuit eapropter elegantissimi *Moshemii de Nicolaitis* dissertatio, qua in classe I. hujus Bibl. Fasc. IV. Sect. I. ostendit hujusmodi hominum genus reapse extitisse, atque, cum ipsas has *Asiæ Ecclesias* falsa doctrina contaminasse, tum dilucidam eo spectare *Johannis orationem* dum illorum in *Epistolis ad ecclesias Ephesinas Pergamensesque* Apocal. II: 6. 15. meminit. Neque solum ad dogmata, verum etiam ad *mores ritusque* illius, ad quam litteræ missæ sunt Apocalypticæ, civitatis nonnunquam alludi, luculento exemplo *serit Thronus Satanae*, quem *Pergami* esse in *Epistola ad eam Ecclesiam* Johannes commemoravit Apocal. II: 13. Meministi enim, lector, nuperime tuis subjectas fuisse oculis in *Class. III. Fasc. I. Sect. V. & VI.* quas celeberrimi viri *Michael ROSSALLUS & Theodorus HASAEUS*, quorum alterum ego amicum, alterum & fratrem venerator, de hoc ipso loco edidere observationes, quibus ad *cultum Aesculapii Pergamenum*, qui ex *universo Asiæ confluxu summus* erat illic, respici erudita sane opera ostenderunt. Conferantur quæ eandem in rem *Cl. Witsius* monuit *Misc. Sacr. T. I. L. III. Cap. III. §. 78.* Cum vero uterque vir doctissimus, ille §. 4. & 5. hic §. 8. & quidem merito urgeat, ad hujus loci illustrationem maximi facere

cere, quod gentes Christo ejusque miraculis perpetuo divinas Aesculapii sanationes aliaque munia tanquam Satanae seu adversarii per Asiam maximi opposuerint; liceat ad ejus rei lucem heic obiter addere locum illustrissimum Originis ex cujus L. III. contr. Celsum id quam apertissime constabit. Exhibens quippe Celsi, qui gentium nomine paganam defendit superstitionem, argumenta, quibus ad Christianorum dogmata respondit, haec de eo p. 122. Ed. Spenc. memorat.

Ἄλλ' αὐτάρκη καὶ ταῦτα πρὸς τὴν ἀφιλόσοφον χλεύην τῆ Κέλσου, ὁμοῖον τὸ ἔνδον καὶ μυστικὰ τῆς ἐκκλησίας τῆ Θεῶ ποῖς Ἀιγυπτίων αἰλῦροις, ἢ πιθήκοις, ἢ κροκοδείλοισ, ἢ τεράριοις ἢ κυσίν. Οὐδὲν δὲ εἶδ' τῆ περὶ ἡμῶν διασημεῖ καὶ καταγέλωτ' καταλιπὼν ὁ βωμολόχ' Κέλσ' ἐν τῷ καθ' ἡμῶν λόγῳ Διοσκῶρεος καὶ Ἡρακλέα, καὶ ἈΣΚΛΗΠΙΟΝ καὶ Διόνυσον ὀνομάζει τὰς ἐξ ἀνθρώπων πεπτευσμένους παρ' ἔλλησιν ΘΕΟΥΣ γεγονέναι, καὶ Φησίν. Ὅτι ἀνέχεσθαι μὲν ἡμᾶς τῶν τῶν νομιζέειν θεῶν, ὅτι ἄνθρωποι ἦσαν καὶ πρῶτοι, καὶ οἱ ποῖα ἐπιδειξαμένους καὶ γενναῖα ὑπὲρ ἀνθρώπων. τὸν δὲ ἸΗΣΟΥΝ ἀποθανόντα, ὑπὸ τῶν ἰδίων Διασοτῶν ὄφθαι φασί. i. e. Satis sit vel haec dixisse contra indecoram Philo- sphi Celsi maledicentiam COMPARANTIS Ecelesiae Dei mysteria cum Aegyptiorum fe- libus, simiis, crocodilis, hircis, canibus. Et ut nullam derisionis speciem reliquam face- ret scurra iste in suo sermone quo NOS im- pugnat, Castores, Herculem, AESCULA- PIUM,

PIUM, Bacchum memorat, DEOS factos  
 ut Græci credunt ex hominibus: dicens:  
 Nos non ferre pro Diis eos haberi, quia olim ho-  
 mines fuerunt; quamvis ceteris præstantiores opti-  
 meque de mortali genere meritos: JESUM  
 vero morte affectum suis sodalibus visum esse nos  
 affirmare. Cum vero late Origines docuisset  
 quam dispar sit Historia Aesculapii & Christi,  
 hæc iterum memorat p. 124. quæ tantum la-  
 tinis verbis exhibemus. Itidem cum de AE-  
 SCULAPIO dicitur MAGNAM MULTITU-  
 DINEM tam Græcorum quam Barbarorum asse-  
 verare sæpe eum visum (ut Christus) hodieque vi-  
 deri non spectrum hoc sed ipsum Deum BENEFI-  
 CIA SANITATIS exhibentem; Celsus vult credi  
 etiam à CHRISTIANIS hominibus: At si JESU  
 discipulis spectatoribus illius MIRACULORUM  
 - - - - adsentiamus, Stultitiam nobis non veretur  
 impingere (Celsus) cum tamen non possit proferre  
 multitudinem istam Græcorum Barbarorumque cre-  
 dentium AESCULAPIO: nos vero, si id deco-  
 rum duxerit Celsus, possumus ostendere inenarrabi-  
 lem tam Græcorum quam Barbarorum numerum  
 JESU nostro credentium. In his quidam in signum  
 ACCEPTAE PER FIDEM VIRTUTIS mi-  
 rificæ SANAT AEGROTOS &c. Jam ut con-  
 cedamus MEDICUM aliquem demonem, (ut age-  
 bat Celsus eumque Christo opponebat) CU-  
 RARE MORBOS CORPORUM, qui voce-  
 tur AESCULAPIUS, hujus admiratoribus simul-  
 que vatis Apollinis objiciemus. &c. Denique rem

ita concludit p. 125. Quodsi nihil divinum præ se fert (ut quidem Celsus ajebat) AESCULAPII medicina & Apollinis divinatio, quæ ratio est ut jam donemus eos callere has artes (ut quidem Christus ejusque discipuli) cur colantur pro Diis puris? quod tantum Christo ob miraculorum divinitatem competere adstruit. Atqui hæc obiter & ὁδὸς παράσερον, quæ eum in finem produximus quo appareat, sicut ad Aesculapii cultum Pergamenum Apoc. II: 13. ita nostro in loco ad tincturam purpuræ Sardoniam alludi, nihil causæ esse cur abnuamus.

VIII. Frequentissimis enim exemplis in veterum monumentis reperimus Sardibus & Lydia tota varia utensilia, vestes, tapetes, ebur &c. purpura infecta esse, quo artificii genere, unde grande ad eos lucrum rediit, Lydorum feminae ceteras longe anteiverunt. Unde pariter est quod frequenti adeo copia apud veteres SARDIANICAE atque LYDIAE fiat PURPURAE mentio, quam in rem testimonia collecta consule in Palmerii Exerc. ad opt. aut. Græc. ad Aristoph. Acharn. vs. 112. collatis ibidem Kusteri notis, & L. Bos obs. crit. Cap. XXX. p. 134. Horum vero industriam longe superavit, majoremque eorum messem collegit peculiari de purpura Lydia conscripta dissert. Joh. Chr. Biel, quæ in Fasc. III. Class. II. Sect. II. hanc exornat Bibliothecam Juvabit, collatione facta, pervolvisse qua ratione hi vi eruditi id sibi operam dederint, quo inde

æque locum sacrum de LYDIA fœmina *Thyatire* illustrarent, quæ Act XVI: 14. dicitur fuisse *πορφυρόπαις* voce cum quæ *purpuram tingit*, tum quæ *vendit*, ut hæc subordinata junctaque esse solent, indicante. Latine *purpurariam* vocares juxta veteres glossas quæ *purpurarius* explicant *πορφυροβάφθ*, *πορφυροπάλης* junctâ utraque significatione. Ille autem locus nec minus nostro Apocalypstico, ac hic vicissim alteri fœneratur lucem. Fuere quippe *Thyatira* æque ac *Sardes* nobilissimæ urbes *Lydia* (quæ universa gens *purpurarius* adeo inclaruit tingendi vestimenta, officinis) docentibus hoc abunde geographis quorum documenta Cl. Cellarius exhibet in dissert de *Septem Eccles. Asiae* §. 34. 35. & L. III. Ant. Geogr. Cap. IV. p. 125. & 129. Idcirco etiam pereruditam illam Cl. Biellii dissertationem non modo avide pervolvi, verum etiam cum viderim eximio viro de hoc Apocalypseo locoid cogitationis haud subnatum esse quam ipse ab aliquo antea tempore meditatus fui, ea factum est occasione ut consilium inierim, hæc, quæ nunc legis, litteris consignandi, quod non solum hunc locum ad *Lydiam purpuram* spectare existimem, sed & plura in scriptis veterum eo facientia adnotaverim, quæ V. Cl. industriam præterfugerunt. Quod tamen ex hac *purpurariorum* apud *Lydos* frequentia officinarum, mercatorumque hinc *purpurariorum* copia illic commorantium, doctissimus

simus Biel ibidem data opera urget, LYDIAE nomen in Actibus Apostolicis non proprium fuisse sed gentile hujus piæ mulieris, quæ, utpote purpuraria Lydia, Philippis vocata esset Lydia, non est quod hoc facile admittamus. Concedere id quidem in promptu esset, si scriptum à Luca reperiremus καὶ τῆς γυνῆ Λυδίας κ. τ. λ. & quædam Lydia mulier, prout passim reperimus ἀνὴρ Λυδὸς & γυνὴ Λυδία apud Achill. Tatium L. I. p. 17. atque fœmina Lydia Claudian. L. I. de R. Prof. vs. 275. Verum, cum disertis extet verbis καὶ τῆς γυνῆ ΟΝΟΜΑΤΙ Λυδία NOMINE Lydia, omnino ejus proprium nomen indicatur fuisse Lydia. Per- vulgatus quippe is est SS. litterarum stylus cum proprium nomen indicatur, ut ea phrasi gaudeant. Utemur tantum testimoniis ex hoc ipso libro seu Actibus petitis. c.V: 1. ἀνὴρ δὲ τῆς Ἀνανίας ὄνοματι vs. 36. Φαρισαῖ. ὄνοματι Γαμαλιήλ. Cap. IX: 33. ἀνδρὸς τῆς Δινέας ὄνοματι. Cap. X: 1. ἀνὴρ τῆς ὄνοματι Κορνήλι. XI: 28. εἰς ὄνοματι Ἀγαβ. XVI: 1. μαθητὴς τῆς ὄνοματι Τιμόθε. Add Cap. XVIII: 2. 7. 24. XIII: 6. 8. XXVII: 1. XXVIII: 7. Sic & de fœminis. Cap. IX: 36. μαθήτρια ὄνοματι Ταβιθά. XII: 13. παιδίσκη ὄνοματι Ρόδη. XVII: 34. γυνὴ ὄνοματι Δάμαρις. &c. Dein cum reapse Lydia inter gentes proprium fuit nonnullarum muliercularum nomen, rationem haud video cur minus & heic loci perquam commode proprium indicare possit. Nota est insulsa mulier, Ly-

dia dicta, in quam epigramma composuit  
Martialis quod est 103. L. XI. atque ita or-  
ditur:

*Non est mentitus qui te mihi dixit habere,  
Formosam carnem, LYDIA, non faciem.*

Confer & ejusdem L. Ep. 22. similiter in *Ly-  
diam* scriptum. Nec minus celebratur amica  
Horatii *Lydia* ad quam scripsit L. I. oden 8.  
cujus hoc principium:

*LYDIA dic per omnes te Deos oro &c.*

Ad eandem habes & oden. XIII. & XXV.  
uti & dialogum Horatii & *Lydiae* L. III. od. 9.  
Etiam LYDUS est nomen *proprium* pædagogi  
ejusdam apud Plautum in *Bacchidibus*. Pa-  
riter & nomina *regionum locorumque* sæpius &  
hominibus *propria* sunt, uti in *Aulularia* Plau-  
tij servus vocatur *Libanus*, in *Curculione* Le-  
no *Cappadox*, in *Pseudolo* meretrix *Phœnicium*  
&c. Neque hac in re adversi quidpiam est,  
quod *Thyatira*, domicilium *Lydiae* no-  
stræ, fuerit *Lydiae* regionis *metropolis*.  
Hæc enim sæpius concordibus stant ra-  
tionibus, ut homines *propriis* nominibus  
utantur iisdem cum ipsis eorundem habita-  
tionum *locis*, ut id quod ceteroquin *gentile*  
est, simul sit *proprium*, quemadmodum plurimi  
*Bremer*, *Hamburger*, *van Amsterdam*, *Rotterdam*  
&c. vocantur, illic locorum commorantes.  
Quod ut nunc fit sic & olim contigit. Ex-  
emplo sit tantum ne extra *Lydiam* vage-  
mur

mur, *Tmolus* rusticus & Judex inter Apollinem Midamque regem, qui quidem Tmoli nomen proprium nactus est ut ut in *Tmolo* monte *Lydiae* nostrae, casam, vitae rusticae domicilium, adeptus esset illicque natus esset & educatus. Consule Ovidium L. XI, *Metam.* vers. 156. seqq.

IX. His missis descendendum eo nunc est, quo nonnulla, ab eruditis illis quos indicabamus viris praetermissa, observemus de *purpura Lydia* atque *Sardianica*, quo partim huic materiae aliquid accedat spicilegii, partim indicato uberius pervulgatissimo hoc illustrissimoque apud *Lydos* ritu, utriusque loci *Biblici* lux eo reddatur splendidior. Animadvertite propterea, quod *Lydorum* foeminae sole mne fuerit *vestimento* amictiri *purpureo*, omni procul dubio illo *propria* ipsis *purpurae* fabrica ministrante. Colligimus id ipsum luculenter ex *Historia Herculis & Omphales*, reginae, quod observa, *Lydorum*. Hunc enim, cum muliebribus officiis *Omphale* tradidisset, ei *sandalio* caput percutiens, indutum videmus instar mulieris *Lydiae*, amictumque idcirco *vestimento purpureo*, quippe qui ἔξαινον ἔπλα ἐν Λυδίας πορφύραι ἐνδεδυκώς ut hanc referens historiam loquitur *Lucianus* in *Dial. Deor.* T. I. op. p. 209. Ed. *Amstel.* & in *L. quom.* conscribit *Histor.* p. 608. sq. Credibile enim vix est *Lydias* mulieres *aliena purpura* usas esse cum domi illis maxima copia subnascebatur, etiam  
Her-

Herculis ætate. Dudum enim antiquissimis temporibus in *Lydia* floruisse purpura tingendi artificium nobile, patet ex Homeri loco *Il. d. vl. 141.* quem antea produximus, ubi *purpure Mæoniæ* seu *Lydiæ* æque ac *Cariæ* antiquissimus scriptor meminit, scholiaste rationem red- dente ad *v. 142.* ὡς τῶν χωρῶν τῆτων τὸ ΠΑΛΑΙΟΝ καλαῖς ΒΑΦΑΙΣ χρωμένων : quod in his regionibus (*Lydiæ & Cariæ*) ANTIQUISSIMIS tempo- ribus optime essent PURPURARIAE tingendi officinae. Neque est cur his adversum esse existi- memus Ovidium, dum Herculem scribit ab *Omphale* indutum esse *Getulica purpura* *L. II. Fast. vl. 304. sqq.*

*Dumque parant epulas potandaque vina mi- nistri,*

*Cultibus Alciden induit illa suis.*

*Dat tenues tunicas GAETULO MURICE tinctas,*

*Dat teretem Zonam qua modo cincta fuit. &c.*

Poetam enim committentem enallagen speciei *Getulicam purpuram* pro præstantissima dixisse aut quavis etiam purpura ex familiari ejusmo- di poetis loquendi more, pervidemus, uti & *Seneca Herc. Fur. vl. 477.* eandem vestem om- phales vocat SIDONIAM, quæ tamen uti nec in *purpurariis insulis* ita nec *Sidone* aut *Tyri* tincta fuit. Sæpius enim *Sidonia, Getulica & Tyria*

*Tyria purpura*, specie posita pro genere, quamvis indicat purpuram, quemadmodum & ipsa *Lydia* his insignitur nominibus, ut in citato Claudiani:

LYDIA SIDONIO quod femina tinxerit  
OSTRO

Et de *Milesia* seu *Caria*. Virgil. III. Georg. v. 306.

- - - Quamvis MILESIA magno  
Vellera mutantur TYRIOS incocta RUBO-  
RES,

Sic & de Apolline *Lydia purpura* vestito idem Ovidius L. XI. Met. v. 167.

- - - TYRIO saturata murice palla,  
nec minus eandem, qua *Idmon* in *Lydia* habitans vestes tingebat, vocat *Phocaicam* L. VI. Met. v. 9.

PHOCAICO bibulas tingebat MURICE lanas.

X. Facienda & eorum heic loci omnino mentio est quæ apud Pollucem reperimus L. VII: §. 59. inquietem: ΑΥΔΩΝ δὲ ΒΑΣΑΡΑ χιλιώνης ΔΙΟΝΥΣΙΑΚΟΣ ποδήρης. LYDORUM vero BASARA tunica quedam BACCHICA. Quantumvis de interstinctione horum verborum lis inter interpretes ex Codd. Miscr. collatione sit

fit subnata, ex ipsa tamen orationis serie colligere est *Lydorum* quandam *vestem* dictam esse **BASARA** vel **BASSARA** *Βασαρά*, eamque *Basaram* esse *tunicam* **BACCHICAM** seu propriam *bacchantium*. Quod unanimi consensu omnes largiuntur interpretes. At *bacchantium* indumentum cum fuerit **PURPUREUM**, apparet simul *Basara* & *vestem Lydianam* seu *purpuream* esse synonyma, qualis & **ΛΥΔΙΟΣ** & **ΠΟΔΗΡΗΣ** *χρῶν* **LYDIA** & **TALARIS** *tunica* per excellentiam vocatur Aristenæt. L. I: Ep. 15. ex quo loco alter Pollucis haud parum lucis adipiscitur. De *Bacchantium purpureo* vestitu plurima ex veterum scriptis repeti possent, sed, ne ea in re multi simus, consulantur Salmasii notæ in Tertull. de Pallio p. 328. ubi id multis docet & simul *Baccham* non nisi *purpureo* vestimento aut *κροκωτῶ* *crocota* conspicuum esse observat. Hinc *purpura* & *Bacchantium* indumenta Tertulliano sunt æquipollentia L. de Pallio p. 50. Ed. Salm. Si *Philosophus*, inquit, in **PURPURA**, cur non & in *ba-xa*? - - Digne quidem ut **BACCHANTIBUS** **INDUMENTIS** aliquid *subtinniret*. Tum & notandam *crocota* seu *croceo* colore, affine *purpureo* atque ipso *rubicundo*, tincta veste amictos esse *Bacchantes*, quod æque multis docet Spanhemius ad Callim. H. in Apoll. v. 83. p. 100. De veste autem *Lydorum* dicta *Basara* seu *Bassara* & *Basaris*, conferenda sunt cum Pollucis loco quæ vetus Horatii Scholiastes ad L. I: od.

od. XVIII: v. 11. (ubi nomine *Bassarei* invocatur *Bacchus*) notavit, eumque mirifice illustrant. BASSAREUS, inquit, dictus est Liber pater à genere VESTIS BACCHARUM, unde & BACCHAE dictæ BASSARIDES. Persius (Sat: I: v. 100.) Bassaris & Lyncem &c. BASSARIS enim genus VESTIS est ad pedes usque demissa, dicta à BASSARA loco LYDIAE ubi fit. Hæc Scholiastes. Verum Bassaram locum Lydiae alibi me reperisse non memini; at Bassaram esse Vestimentum Lydium ex hoc ipso Pollucis loco manifestum est, quodque, quia Bacchantium fuit, Lydique summopere purpureæ artificio inclaruerunt, fuisse omnino rubicundum intelligimus. Utrum vero a rubra tunica illa Bacchus dictus sit Bassareus & Bacchantes Bassarides, an à Bassaridibus contra nomen acceperit tunica, cum perinde sit, scire nostra haud multum interest. Aequè enim ac Bacchum Bassareum & Bacchas Bassaras, Bassaridas, sic & Bacchantia quævis dicta esse Bassarica novimus. Confer cum citato Persii loco Tzetzen ad Lycophron. Cass. v. 771. Etymologicon M. Voce βαροπίς, & notas doctorum ad Propertii L. III: Eleg. XVI: 30. Præterea hanc vestem Lydiam, quæ Bassaræ nomine venit, fuisse purpuream, saltem rubicundo tinctam fūco, ex ipso nomine ejusdem posse erui crediderim. Vi enim etymi Bassara subaudito εἶδος interpretor vestimentum rubicundum. Descendit enim Græcis

cis peregrina vox ex Hebræa radice בטר (Basar) cujusquamvis propria latet significatio, vocabula tamen, quibus vel cum eadem est aliquid affinitatis, vel ex eadem descendunt, multum ruboris significatione sua involvere deprehendo. Sic Hebræis בטר (Boser) & Chaldæis בוטרא (Basara) & בטרָא (Busera) notat *uvam* nondum quidem *maturam* satis, quam Græci ὀμφακᾶ vocant, attamen quæ *rubere* incipit. De aliis enim vitibus quam quæ *rufos*, gignunt botros has orientis populorum voces accipere non potes, quod in Palæstina vicinaque regione, ubi hæc vox nata, *vinum*, quod aliunde constat, præter id quod *ruibecundum* fuit, non facile reperiebatur. His in auxilium advoca quæ de *vini* & *botrorum* colore *sanguineo* & *purpureo* cum alibi tum hac diff: §. 2. & §. 5. occupavimus, collatis Munckeri notis ad Fulgent. L. III. Mythol. c. 1. & Casaub. ad Sueton Aug. c. 76. Porro *aurum* Hebræis ob *fulvum* & *rufum* colorem videtur בצר dictum esse. Vide Jobi XXII: 24. 25. Hæc enim vox a priori בטר non nisi orthographia, permutatis sibilantibus, diversa est, ut sæpe voces apud Jobum & ceteros scriptores sacros diversa orthographia signatæ sunt. Id enim ita se habere ex verbo בצר discimus Hebræis *vinde- miare* denotante a בטר *uva* seu *omphace*. Auro vero ob *rufum* colorem pariter tribuitur *purpureus* ut apud Columell. L. X: 101. *purpura-*

re auro. Etiam hoc notandum & vulpes  
Græcis dictas esse βασσαίρες, βασσαίρας & Βασ-  
σαρίδας eodem Bacchantibus alias proprio no-  
mine. Tzetzes loco citato βασσαίρας inter  
alia notare dicit εἰδὲ ἀλώπηκος. Confer Le-  
xica Græca Suidæ, Etymolog. M. & Hesychii  
quæ idem docebunt. Neque dubium est quin  
ex Hebræa Græcaque lingua nactum sit origi-  
nem vocabulum ΒΑΣΩΡ quo etiamnum Coptos  
indicare pellem vulpinam eruditi memorant,  
quæ & ipsa Βάσσαερα dicta fuit. Quis vero  
non videat hoc nomen, ut bacchantibus a ve-  
stitu rubro, ita vulpi ob rufos, quibus cooper-  
ta est, pilos tribui? unde & Germanis in pro-  
verbium abiit, roth wie ein Fuchs item: er  
schämnet sich wie ein Fuchs: aliaque his si-  
milia.

XI. Hæc vero ad ea me invitant, quo heic  
loci etymo Bozra, celeberrimæ Idumæorum re-  
gioni civitatisque cognomini facem accen-  
dam. Quidsi enim censeremus illud ab hac  
ipsa voce בצר ortum esse, cum antea jam pro-  
batum dederimus in hac ipsa voce צ & ס,  
quod & alias sæpissime contingit, permutari?  
Ita quidem בצרה Bozra sub audita voce ארץ  
vel עיר aut קרה regionem RUBRAM locumve  
indicaret. Certe & doctissimus Altingius id  
nomen & ex בצר, quod aurum est, deduci pos-  
se coniecit Num. III. Parallelism. Vatican. Au-  
rum vero ob rubedinem coloris Hebræis di-  
ctum esse בצר antea observavimus.

me etiam id nominis *Bozra*, convenit Civitati *Idumææ*, regionis ארץ אדום dictæ quæ & ipsa propria significatione *rubra regionis* γῆς Φοινίκης notionem involvit: Ita eundem in ארץ בצרה, quæ *Idumææ* pars est, sensum reperiremus. Summopere autem hanc commendare videtur etymologiam egregius *Esaïæ* locus LXIII. vs. 1. sq. de victore *Idumæorum*. *Quis est qui descendit מאדום ex EDOMO, RUBICUNDUS vestibus מבצרה de BOZRA?* Cum enim victor ille *RUBICUNDIS vestibus* erat indutus vs. 2. inde egregia in voce אדום vs. 1. est allusio ad has vestes *rubras* בגדים אדמים utpote quæ ipsa *Edomi* vox nil nisi *rubrum* indicat. Vide *Genes. XXV: 30*. Pari ratione & similem latere allusionem in voce בצרה ad ejus etymon, fit vero persimillimum cum *Ebræis* nihil sit solennius, præcipue in *Prophetis* & *carminibus*, ac ejusmodi similitudinibus nominum ludere, præcipue cum vs. 1-6. nulla fere nisi de rebus *rubris*, velut *vestibus rubicundis*, calcatione torcularis botris *rubris* repleti, &c. mentio fiat. Forte & quia sæpius calcationis in torculari meminit *Propheta* voce hac בצרה *Bozra* ad alteram, unde plurimi ejus petunt natales, alludit, quæ בצר est & vindeminare botros, qui in *Palæstina rubri* erant, indicat, quam & ipsam vocem בצר, & quæ inde descendunt, ab *uvarum*, quæ vindemiantur, *rubedine*, originem sortitam esse s. præc. animadvertimus. Quemadmodum au-



Ovidius L. VI. Metam. *Arachnes* puellæ *Lydiæ* fabulam explicans, his *Lydiam* regionem verbis celebrat. vs. 61.

ILLIC & TYRIUM quæ PURPURA sensit AHENUM  
 TEXTITUR, & tenues parvi discriminis umbra.

Neque enim *Arachne* alia quam puella *Lydia* fuit hac vestium textura tincturaque celeberrima, unde fabula de *Arachne* in *araneam* mutata originem nacta est. Observemus enim & *Arachnes Patrem*, utut *Colophonium* origine, tamen *Hypæpis* in *Lydia* habitantem, *purpuræ tinctura* sibi vitæ quæsiuisse præsidia. Docet id pariter ibidem Ovidius vs. 5. sq.

MAEONIAEQVE (i. e. *Lydiæ*) animum  
 fatis intendit ARACHNES,  
 Quam sibi lanificæ non cedere laudibus artis,  
 Audierat. (Minerva) non illa loco nec origine gentis  
 Clara, sed ARTE fuit. PATER huic *Colophonium* Idmon,  
 Phœcaico bibulas TINGEBAT MURICE  
 lanas.

Idem de *Arachnes matre* pariter Ovidius refert versibus hæc proxime excipientibus.

Occiderat MATER. Sed & hæc de plebe,  
 suoque

Aequa

*Aequa viro fuerat* : LYDAS tamen illa per  
URBES,

Quæserat STUDIO (texendi & tingendi)  
nomen memorabile, quamvis

Orta domo parva, parvis habitabat HY-  
PAEPIS.

*Hypæpam* autem, ubi *Arachnes* habitabant pa-  
rentes, non modo *Lydiam* urbem fuisse nota,  
verum etiam *Sardibus* nostris proximam, ut-  
pote quarum confinia *Tmolus* mons, utram-  
que interjacens, diremit docente id ipsum  
Ovidio L. XI. *Metam.* vs. 150. sq. situm *Tmoli*  
commemorante,

- - *Riget arduus alto*  
TMOLUS in adscensu, clivoque extentus  
utroque,  
SARDIBUS hinc, illinc parvis finitur HY-  
PAEPIS.

Plura qui de situ urbis *Hypæparum* desiderat,  
ea ex *Spanhemii* petat notis ad *Callim. Hymn.*  
in *Dian.* vs. 257. p. 306. Nec minus heic loci  
commemorandus *Apollinis* vestitus, quo eum  
exhibet amictum *Ovidius* quando cum *Pane*  
de artis canendi fidibus præstantia certabat.  
Quod quidem ut in *Lydia* accidit, & *Apollo*  
*Tmoli* Pastoris judicio in *Tmolo* monte *Lydiæ* se-  
dentis judicem, victoriam nactus est, ita &  
*Lydiæ purpuræ* indutus fuit splendido ornatu  
L. XI. *Met.* v. 166.

*Ille, inquit, caput flavum lauro Parnasfide  
vinctus,  
Verrit humum TYRIO saturata MURICE  
PALLA.*

Maxime enim hæc Apollinis *purpura* fuit *Lydia*,  
quia tum in eadem comorabatur regione, quo  
ex decoro erat se *purpura Lydia* vestire. No-  
temus & hæc ejusdem poetæ de *Mida*, rege  
quidem Phrygiæ, sed *Lydiæ vicina* regionis.  
Is enim cum in *Lydia* versaretur iudiciumque  
*Tnoli* de Apollinei cantus præstantia præ Pa-  
nici improbaret, eaque propter ipsius capiti  
Apollo *Asininas* aures donasset, hæc addit poe-  
ta vs. 181.

*Ille quidem celare cupit ( aures illas ) turpique  
pudore,  
Tempora PURPUREIS tentat velare TIA-  
RIS. &c.*

Quidni enim hanc *purpuream tiam* *Midæ* fu-  
isse *Lydiam*, memoratis de causis, adstruere-  
mus? Ne commemorem vetustissimos *Lydo-  
rum* reges, qui illic ante tempora Cyri rerum  
potiti sunt, *purpureo* vestitu splendidos fuisse,  
quod eo colore omnes fere reges, ut carissi-  
mo augustissimoque, delectati sint. Cræsi  
exemplo id tantum adstruxisse liceat, quem  
*παντοδαπῶς* ornatum in regio throno seden-  
tem adeo superbia elatum fuisse refert Laër-  
tius L. I. §. 50., ut Solonem rogasset an pulchri-

us unquam ipso spectaculum vidisset, illum vero splendorem quem pennæ Gallorum, Phasianorum & pavonum ostendunt ejus ornatui prætulisse. Oportet idcirco ut inter cetera & purpura nituerit Cræsus. Quippe harum avium pennas versicolores ut plurimum iridi comparari meminimus, quæ quidem,

*Mille trahit varios adverso sole colores:*

attamen inter eos purpura principe loco est, quocirca & iris dicitur Propertio L. III. Eleg. IV. vs. 54. *arcus purpureus*, eique *croceæ pennæ* dantur a Virgilio L. IV. Aen. vs. 700.

XIII. Subit etiam animum cogitatio *Lydos*, & inter eos maxime *Sardienses*, vestimenta non *purpureo* modo, sed & pigmento CROCEO infecisse. Causam, cur id censeam hæc est, cum quod olim vestimenta *croco* æque ac *purpura* veteres artis infectoriæ periti ubivis tinxerint: tum quod *Lydia* & præcipue *Tmolus* mons *croci* floribus abundaverit, qui ad hunc tincturæ usum dubio procul illic culti & lecti videntur. Ita Columella refert L. III. c. 8. TMOLON & Corycion (montes) *florere CROCO*. Solinus cap. 41. Mons LYDIAE TMOLUS CROCO *florētissimus*. Virgilius commemoraturus ubi res quævis præstantissimæ proveniant inde L. I Georg. vs. 56. inquit,

-- Nonne vides CROCEOS ut TMOLUS

odores,

India mittit ebur, &c.

T 4

Quæ

Quæ ad hunc locum Servius de *Tmola* monte *Cilicia* præstantissimo *croco* florente nugatur, non tangimus, quod ea satis ab interpretibus confutata videamus. At quæ habet de *Tmolo-Lydia* non est quod prætermittamus. Sed **TMOLUS**, inquit, est mons etiam *Lydiae*, circa oppidum *Sardis*, qui diversis floribus abundat, unde multi de *Tmolo* croceos odores similes *croco* accipiunt: alii non dixisse eum *crocum* apud *Tmolum* nasci: Sed vinum *Tmoleticum* crocei odoris. Priorem explicationem eorum, quos scholiastes citat, scriptorum falsam esse quod crocei odores sint *croco* similes priora loca evincunt abunde testantia *croco* fuisse *Tmolum* montem florentissimum. Neque huc pertinent quæ de vino *Tmoletico* refert, utut *Tmolum* fuisse vitibus densum non eamus infitias, quod pluribus *ἄνω τρωλίτην* celebratum novimus, sæpiusque *vineta* *Tmoli* laudata. vid. *Salmas.* in *Solin.* p. 588. & *Cellar. Ant. Geogr.* L. III. Cap. IV. p. 126. quorum observationibus adde *Ovidium* L. IV. ex *Ponto.* Ep. XV. v. 9. & L. XI. *Metam.* v. 87. Id vero innuit solum *Virgilius* optimum *crocum* nasci in *Lydia* ut optimum *ebur* in *India*, thus in *Arabia* &c. docente id aperte orationis cohærentia. Recte autem *Servius* *Tmolum* facit montem *Lydiae* & quidem, quod notandum bene, *Sardibus* vicinum quod & ex *Solini* loco memorato discimus. *Plinius* etiam *Sardes* in latere *Tmoli* montis fuisse fitas adserit L. V. c. 29. Imo *Tmolum* in-

inter *Sardes* & *Hypaepam* collocat *medium* Ovid. L. XI. *Metam.* vs. 152. Adde & Herodotum qui L. I. cap. 101. refert fluvium *Pactolum* vicinum monti *Imolo* per *mediam* urbem *Sardiensium* fluere, & quod cap. 85. memoret urbis *Sardium* fortissimam partem obversam esse urbi *Imolo* quæ monti vicina ab eo nomen nata est. Alias & *Imolum* vindicant *Lydiæ* (ut *Servii* errorem agnoscas in loco *Virgillii* de *croco Ciliciæ* cogitantis) unanimes consensu scriptores vid. *Lycophron* *Cass.* vs. 1351. eum jungens, de *Lydia* agens regione, cum *Cimpho* oppido & *Pactolo* fluvio *Lydorum*. *Strabo* L. XIII. p. 430. *Ovidius* VI. *Met.* vs. 15. L. XI. vs. 87. 120. sqq. Item *Mæoniam* i. e. *Lydiam* porrectam esse *Ἰμώλω ὑπ' ἠνεμόεντι* sub *Imolo* ventoso scribit *Dionys.* *Perieg.* vs. 831. & *Mæonas* sub *Imolo* natos *Homerus* in *Catal. Nav.* vs. 373. ubi *Scholias* *Ἰμώλω ὅριον Λυδίας ἀφ' ἧ καταφέρεται ὁ Πακτωλὸς ποταμὸς*. Hinc & *Lydia Imolite* memorata *Vitruvio* L. VIII. c. 3. idque ipsum ex *Lapide Lydio* seu *coticula* aurum argentumque probante, qui inde *Lydiæ* nomen accepit, quod quondam non solitus inveniri nisi in flumine *IMOLO* ut ex *Theophrasto* tradit *Plinius* L. XXXIII. c. 8. haud dubie pernoscimus. Denique & *Lydia* hinc *Imolia* terra dicta *Ovidio* L. IV. ex *Ponto* Ep. XV. vs. 9. *Sardienses* itaque *croco* suo in vicino *Imolo* nascente ad vestium infectionem usos esse quis negare vellet? *Lydos* quippe hoc ipso

& croco suo vestes infecisse ex adducto Pol-  
 lucis loco haud dubie apparet qui *Basaram* ve-  
 stem LYDIAM esse & *Bacchantium* scribit.  
 Vestitum vero *Bacchantium* & ipsius *Bacchi* fu-  
 isse CROCEUM & hinc CROCOTAM dictū,  
 ibidem monuimus multis *Salmasium* *Span-*  
*hemiumque* comprobasse. Inde & *Imolum* fu-  
 isse *Baccho* sacrum, non modo quod *vitibus* ut  
 antea probavimus, sed & quod *croco*, quo  
 delectatur *Bacchus* colore & floribus, consi-  
 tus fuit, auguror, unde & discimus qui *vi-*  
*num Imoleticum* fuisse *crocei* odoris scripserit *Ser-*  
*vius*, quem vel ex nascente inter vites croco  
 hausit odorem, vel quod *Lydis* solenne fuerit  
 vinum suum croco inficere. *Baccho* vero  
 inde sacrum fuisse *Imolum* indicant hæc *Ovidii*  
 L. XI. *Mét.* vs. 87. de *Baccho* dicentis quod  
 petierit SUI (sibi proprii) *vineta TIMOLI.* &  
*Senecæ* in *Phoeniss.* v. 602.

Hinc NOTA BACCHO *Imolus* attollit  
 juga.

Hæc vero de *crocea* tinctione vestium, apud  
*Lydos* frequenti, eo magis heic loci adduci-  
 mus ubi de *purpura Lydia* agimus, quod satis  
 constet *croceum* & *purpuram* ob *affinitatem* colo-  
 rum in *luxurioso vestitu* denotando jungi, ut  
 apud *Virgil.* L. IX. *Aen.* v. 614.

Vobis picta CROCO & splendenti MURICE  
 vestis.

L. XI. vs. 772.

*Ipsa peregrina* FERRUGINE (specie purpure) *clarus* OSTRO,

Dein vs. 776.

Tum CROCEAM *chlamydem* &c.

Adeo ut & πορφύρις & κροκωτὸς sæpius ut *synonyma* permisceantur, quemadmodum ζῦσιδα (quod *splendidum* erat vestimenti genus Athenis idque partim *mulieribus* proprium, ut ex Schol. Aristoph. in *Lysistr.* vs. 1191. & Schol. Theocr. ad *Idyll.* II. v. 74. discimus, partim & *equitibus* qui eo in pompa utebantur) Scholiastes Aristoph. ad *Nubes.* vs. 70. alter explicat πορφύριδα ὡς καὶ οἱ βασιλεῖς χροῶνται PURPUREAM *vestem* quo REGES utuntur, alter κροκωτὸν ἱμάτιον ὃ οἱ ἡνίοχοι φοροῦσι μέχρι νῦν πομπεύοντες CROCEAM *qua equites utuntur in pompa.* Sic & *fascias* quibus pueri involuebantur inde *Porphyrogenetae* dicti. Pindarus alibi κροκωτὸς dixit alibi πορφύρις notante Spanhem. ad *Callim.* p. 101. Pariter & *aurora* sæpius κροκόπεπλος q. croceam *vestem* habens dicta poëtis. Vide *Homerum* II. T. v. 1. eique hinc *cubile croceum* datum à *Virgil.* I. *Georg.* v. 447. IV. *Æn.* v. 585. IX. 460. & *rotæ croceae* *Ovid.* III. *Met.* v. 150. Eidem tamen & *purpureus* conceditur. Idem in *Aetna*

*Purpureoque rubens surgat jubar aureus ostro.*

*Aen.* XII. v. 77. PUNICEIS *inveſta* rotis AURORA *rubebit.* Adde quæ antea de colore *iridis*

dis cum croceo tam purpureo §. præc. sub finem monuimus. Etiam quod *Herculem* amictum purpura §. 9. produxerimus, qui tamen omphalæ seruiens sæpe *κροκωτοφόρος* in scenam producitur. Nec id mirum, sicuti sanguine Hyacynthi pueri tactus flos hujus nominis, purpureus redditus, ita & flos crocus tradatur natus de sanguine pueri Croci. Vid. Ovid. L. IV. Met. vs. 283. Sanguinem vero dici purpureum §. 5. vidimus, quibus jungæ quæ de croceo colore dicto rubere & sanguini dato observavit Illustriss. Spanhemius ad Callimach. H. in Apoll. p. 102.

XIV. Spectat etiam ad *Sardianicam purpuram* locus Aristophanis in *Vespis*, ubi Bdelycleon patri Philocleonti persuadere annicitur ut centone, quo indutus erat, deposito, elegantiore vestem indueret. Eam autem Comicus *Περσίδα* Persicam & *καυνάκην* gaunacum vocat, item *σισύγγην* Sisyrami vs. 1132. & 1133. At cum senex se, peregrina hæc vestis quæ esset, ignorare profitebatur, adeoque eam induere nollet, respondet filius vs. 1134.

Κ' ἐκ θαῦμα γ' ἐς ΣΑΡΔΕΙΣ γὰρ ἐκ ἐλήλυθας,  
Ἐγὼς γὰρ ἄν. Νῦν δὲ ἐχὶ γνώσκεις.

Haud mira res est, ut pote cum SARDES (ubi  
veneunt) non videris,

Bene ista nosse (sibi fuisses) quæ nunc igno-  
ras.

*καυνάκην* seu *σισύγγην* esse vestem quæ frigori  
arcen-

arcendo humeris ceterisque vestimentis superinjiciebatur, qua & *stragula* loco, cui indormirent, utebantur, atque hinc ἐπερόμαλλον seu *villis floccisque* ex altera parte ornatam, etiam ἀμφίμαλλον *utrinque villis densam* fuisse, scriptores testantur. Consule præter scholia ad hunc locum, Hesychium aliosque: Jungermannum ad Pollucis L. VI. §. 11. pleniusque doctissimum Hemsterhusium ad ejusdem L. X. §. 123. tum & notas P. *Mollii* ad Longi Pastoral. L. II. p. 39. & Scaligeri ad Varronem in *Gaunacum*, quæque ad eandem vocem in Lexico congeffit Martinius. Quantum vis vero ejusmodi vestis sæpe sordida erat & plebeja alias *μηλωτή* dicta viliumque inde hominum indumentum, ut ibidem Hemsterhusius monet: nihilotamen secius γαυνάκαι erant sæpe vestimenta longe pretiosissima, qualem hanc, cujus Aristophanes meminit, fuisse exinde videre est, quod eam *talento* constitisse adseveret v. 1142. Quæ cum ita se habeant, observa ejusmodi *Gaunacum* fuisse PURPUREUM. Hinc καυνάκων πορφύρων mentio apud Pollucem L. VI. §. 11. Menandrum, aliosque ut ibidem loci Jungermannus & Hemsterhusius notarunt. Hinc cum illas καυνάκας magno numero *Sardibus* venire innuat Comicus, omnino ejusmodi intelligimus quod *Sardianica purpura* tinctum erat. Aliter enim si fuisset, certe *talento* ad eam texendam haud opus fuisset. Πηγῆς autem idem vestimentum vocatur, quod

eo *Persæ* admodum utebantur, & fortasse ex *Persia* in *Lydiam* ceterasque regiones Græciæ ejus forma delata est. *Lydos* enim paruisse *Persis*, devictis à *Cyros Sardibus* nostris captoque rege *Cræso* meminimus. Vide Herodotum L. I. cap. 80. sqq. unde & Scholiastes Σάρδεις πόλις Λυδίας ὑπὸ Πέρσων seu sub *Persarum* esse imperio affirmat. Hinc enim, ut dominantium vestitus plerumque ad devictos transit, ita *Sardibus* & *Persica* indumenta tineta videntur. Saltem ejusmodi *Purpureæ vestes* ex *Persia* in *Lydiam* delata sunt, quo iis *Sardienses* ceterique populares amicirentur. Hinc & ejusmodi *καυνάκην* texi in *Persica* urbe *Ecbatana* testatur dein *Comicus* vs. 1138. sq, *Persica* autem vestimenta stragulasque (cui usui & *καυνάκαι* adhibebantur) fuisse *purpurea* aut *purpura* saltem mixta novimus. Vide *Aeliani* L. IV. *Histor. An. c.* 46. Cui rei & documento sunt *Persicæ tapetes purpurei*, qui exinde etiamnum in nostras devehuntur regiones.

XV. Dum in *Aristophane* explicando versor, memini & alterius loci, quem nec minus *Sardianicam* illustrare *purpuram* posse cum doctissimo interprete conjicerem. Legitur in *Pluto* v. 536. ubi *Paupertas* contra *Chremylum* causam suam agens, memorans, si divitiis omnes homines pares essent, eosdem & omnibus vitæ delitiis carituros æque, inter alia & hæc refert, eos.

’ουθ’ ἱματίων βαπῶν δαπάναις κοσμήσαι ποικιλομόρφων,

*Neque sumtuose tinctis variegatisque coloribus ornatis amictum iri.*

quod nemo tum foret qui eas texere vellet divitibus laborem tunc fugientibus. Per βαπῶν ἱμάτια Comicum indicare PURPUREA non est cur dubitemus, ex quo id luculentis exemplis Illustris Spanhemius docuit. Hoc tantum heic loci observo, videri admodum verosimilem illustrissimi viri conjectationem, illa vestium βαμματα, quorum illic extat memoria, esse vel tincturæ *Milesiæ* vel *SARDIANICAE*, panno purpureo *Mileto* vel *Sardibus* delato *Athenis*. Præterea vero quidni generaliori nomine, dum βαπῶν ἱματίων meminuit, *utramvis* purpuram & *Milesiam* & *Sardianicam* à Comico innui credamus? Eæ enim urbes Athenas maxima copia purpureas merces mittebant, unde hujus utriusque βαμματα & alias singulatim, (alterius vero ut *Tyræ*, *Getulici* &c. non item) apud Aristophanem indicium, & quidem *Σαρδιανικῆ Φοινικίδ* in *Acharnens.* v. 112. & *Pace* vs. 1138. *Στρωμάτων* vero *Μιλησίων* in *Ranis.* v. 549. & *ἑρῶν Μιλησίων* *Lystr.* vs. 732. *Mileti* enim æque ac *Sardibus* variæ res ut *vellera*, *lanæ*, *tapetes*, &c. *purpura* inficiebantur, ut ex Spanhemii notis ad illum *Pluti* & citatum *Ranarum* locum discas, quibus adde *Scholias*ten *Theocriti* ad *Idyll.* XV.

XV, v. 126. collatis Bocharti egregiis observationibus Phalegi L. I. Cap. VI. p. 26. & notis doctorum ad illa Virgilio L. III. Georg. v. 306.

-- *Quamvis* MILESIA magno,  
VELLERA mutantur TYRIOS incolta  
RUBORES.

Aristophanem praeterea ad *utramque* solum purpuram, missis ceteris respicere, inde videtur colligi posse, quod *purpura Milesiorum* seu *Carum*, aut *Sardianicorum* seu *Lydorum* maxime praeter ceteris *Graecis* nota fuerit. Hinc non tantum Aristenæto L. I. Epist. 15. ΑΥΔΙΟΣ, χιτων *Lydia* & *talaris tunica*, & ΠΟΡΦΥΡΙΔΕΣ *purpurea* vestimenta; Sed & Θερέπαινα τῆς ΚΑΡΙΑΣ *ancilla* CARIAE junguntur ΑΥΔΩΝ γυναιξί *LYDIS* mulieribus quæ summopere arte *texendi* excellabant utpote quarum, cum *Caricarum* tum *Lydiarum*, opera *purpurea* vestimenta, tapetes &c. parabantur; Inde hanc purpuram *utramque* aliis missis jungit Homerus loco toties citato Il. Δ. v. 142.

-- ἐλέφαντα γυνή ΦΟΙΝΙΚΙ μήνη,  
ΜΗΟΝΙΣ ἢ ΚΑΕΙΡΑ. --

Ubi *Μήοις*, quam *purpura* tingere *ebur* dicit poeta, est *Lydia*, ut *Lydia* olim & *Meonia* nomen habuit; *Καίειρα* vero est *Caria* mulier; vide Cl. Bos Obs. Crit. c. 30. Praeterea ad ejus loci illustrationem observa, uti *Sardes* urbs *Lydiae*, ita *Miletum* fuisse *Cariae*. *Carica* itaque

eadem est *purpura* ac *Milesia*, ut *Lydia* eadem & *Sardianica*. Quamvis enim *Miletus* fuerit *Jonura* civitas, condita tamen est in agro *Carum* quo & *Carie* eam plurimi accensent. Stephano Byzantino hinc audit πόλις ἐπιφανής ἐν ΚΑΡΙΑ τῶν Ἰώνων. Ita & *Miletum* cum aliis *Joniae* civitatibus sitam esse ἐν καρίῃ testis est *Herodotus* L. I. Cap. 142. *Scylax* & *Ptolemaeus* ejusdem rei autores sunt inter *Carie* civitates numerantes *Miletum*. Quemadmodum vero *Lydia* sic æque *Caria* quondam excelluit *purpurariis* officinis, quod præter ea quæ de *Milesia* diximus *purpura*, egregio documento est insula *Co* quæ *Carica* est, teste *Mela* L. II. Cap. I. Ibi quippe præstantissima *purpura* res variæ tingebantur, quæ hinc a patria *Coæ* nomen accepit. *Horatius* L. IV. Od. XIII. v 13.

Nec COAE referent jam tibi PURPURAE. *Juvenali* Sat. III. v. 101. inde celebrantur CONCHYLIA COA id est *Græca purpura* interprete veteri Scholiaste. Adde antiquum *Horatii* commentatorem *Coæ purpureæ*, inquit, pretiosæ à loco. Nam in *Co* insula vestes tenuissime texuntur & ad delicias muliebres & luxum OPTIMAQUE PURPURA tinguntur.

XVI. Harum rerum adnotatio eo quoque te ducit, ut scriptores, quotiescunque PURPUREORUM TAPETIUM meminerunt præcipue, cum de *Græcis* rebus sermo est, censeas eos *Milesios* indicare vel *Sardianicos* *Martial.* L. XIV. Ep. 147.

*Stragula* PURPUREIS lucent villosa TAPETIS.

Plautus Pseud. A. I. sc. II. v. 14. *Alexandrina belluata*, CONCHYLIATA TAPETIA hoc est Conchylio seu purpura *βουρλα*, quarum in Sticho A. II. sc. III. v. 54. etiam mentio fit. Horatius. L. II. Sat. VI. v. 102.

-- -- RUBRO ubi COCCO,  
*Tincta super lectos canderet* VESTIS eburnos. Et. v. 106.

Ergo ubi PURPUREA porrectum in VESTE locavit.

Vestis nomen ibi <sup>i</sup>ndicat tapetes, quibus olim indormiebant mollioris vitæ addicti consuetudini, ut ex aliis liquet locis. Virgil. L. IX. Aen. v. 325. Athen. L. II. sc. 17. Statio L. I. Theb. vs. 518. Aristoph. Pluto vs. 528. &c. tum, quia illi tapetes erant purpurei, hinc Lentinum dormisse in purpureo toro scribit Marcial. L. XII. Ep. 17. Adde L. XI. Ep. 57.

Constringatque tuos PURPURA texta TOROS.

ubi purpura texta indicantur tapetes purpurei qui arte mira, Sardibus, Mileti, &c. texebantur. Denique & purpureorum tapetium quibus ornati equi, mentio apud Virgil. L. VII. Aen. vers. 277.

Instratos OSTRO alipedes PICTISQUE TAPETIS,

Refero & ad priora ea Statii L. II. Theb.

Fuderat ASSYRIIS extructa TAPETIBUS  
alto.

Membra toro. --

Ubi *Assyrii tapetes* dicuntur pro *purpureis*, ut de *Sidoniis & Tyriis* diximus §. 9. Hinc & *pulchri tapetes* ob eximium illum colorem audiunt *Virgil. IX. Aen. vs. 358. Nec minus & ἀλιπορφύρων ταπήτων* seu *marina PURPURA tinctorum TAPETIUM* mentio apud *Anacreontem od. XI. quos ad Sardinicos & Milesios esse referendos jam ad Aristoph. Plut. vs. 538. observavit Illustr. Spanhemius. Illis autem quæ vir summus ex Theocriti Idyll. XV. v. 125. & ad Ranas v. 549. collegit de Milesiis tapetibus purpureis, adde quæ ad utrumque locum veteres scholiastæ observarunt. Præter Milesia autem SARDIANICA TAPETIA fuisse celeberrima, quibus indormiebant veteres vel ex illis Varronis apud Nonium apparet ex ejus Hercule Socratico: CUBO in SARDIANIS TAPETIBUS inter chlamydes & PURPUREA amicula. Alias & Sardinorum tapetium alibi apud scriptores frequens mentio cum *Lydi & tingendi & texendi tapetes arte excelluerint, quæ, quod docte explicuerit satis Cl. Biel in cit. dissert. §. 4. & 9. heic loci non est quod repetamus. Quamvis vero ἀλιπορφύρων ταπήτων Anacreon meminerit seu purpura MARINA tinctorum, non tamen est quod objicias Sardinicam commode intelligi non posse eapropter quod Sardia maritima haud**

fuerit civitas. Nam *ostrum* & *concha* facillime potuerunt devehī Sardes ad locum à mari non longe diffitum. Alia, ad confutandum simile Cl. *Nurre* contra *purpuram Sardoniam* argumentum annotavit idem vir eruditissimus §. 8. Ceterum & *Asiatica tapetia* occurrunt apud Plautum Stichō A. II. sc. III. v. 54. ubi de *Milesiis* pariter & *Sardoniacis* commoda est cogitatio. Sed de his fortasse satis diximus. Quapropter quæ hanc in rem disputavimus, ad hypotheseos nostræ elucidationem accommodemus.

XVII. Nimirum ad hunc *purpura tingendi vestimenta* morem qui, cum in universa regione *Lydorum*, tum maxime eorum urbe principe SARDIBUS erat usitatissimus, alludere heic loci Johannem, dum hæc *Sardiensibus* scribit: ejus causæ eo luculentior apparebit ratio, ex quo videbimus iis paucis ὀνόμασι seu *hominibus* (ὄνομα enim, ut Hebræorum אָדָם, in SS. litteris sæpissime pro homine sumitur ut docte Grotius observat) qui ἐν ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια αὐτῶν indicari ejusmodi qui adhuc ALBO utebantur *vestitu*; οἱ περπατήσασιν ἐν ΔΕΥΚΟΙΣ, hoc est quorum vestimenta nondum alio erant colore βαπτά, sed virgine lana, ut ita loquar, quæ *alba* est, constabant. Unde videmus *albo* colori, seu vestibus non *tinctis*, opponi alium, quo vestes *tingebantur*. Quem vero eum alium esse decerneremus quam *rubicundum* & PURPUREUM qui SS. litterarum



sedet super θηρίω κοκκίνω vs. 3. Eodem modo & ad vestes cum *purpureas* tum *albas* alluditur memorato loco. Es. I: 18. Fortasse inde lux dari potest Historiæ de Sospitato nostro, cui milites, exutis vestibus propriis, περιέβαλον ἱμάτιον πορφύρεον seu ΚΟΚΚΙΝΗΝ χλαμύδα Matth. XXVII: 28. Marc. XV: 17. 20. Joh. IXX: 2. dubium enim vix est quin Christus ex more Judæorum pervulgato, veste *alba* saus sit, quapropter etiam ejus vestimentum dicitur fuisse ΛΕΥΚΟΝ ὡσεὶ χιτῶν A! BUM sicut NIX Matth. XXVIII: 3. Coll. XVII: 2. Pari- ter cum in parabola de Lazaro & divite alter *pauperis* Schemate appareat, procul dubio & lanæ puræ seu *albæ* tegumento aut *lini* conspi- ciendus erat utpote cui *tinctoria* nimis cara fuisset. Hinc vero intelligis cur illi oppositus dives helluo dicatur amictus ΠΟΡΦΥΡΑ καὶ βύσσω Luc. XVI: 19. Baptista Johannes qui ve- ste usus est ἀπὸ τριχῶν καμήλας Matth. III: 4. quæ vilis *albis* constabat sine ullo colore tinctoris, hinc ad eos qui ejus videndi causa in deser- tum secesserant, eum in modum loquitur. Luc. VII: 25. *Quid spectatum exivistis? hominem forte vestitum ἐν μαλακοῖς ἱματίοις* quod reddimus *vestimentis PURPUREIS*. Quid enim heic lo- ci sint μαλακὰ ἱμάτια ex sequentibus perdisci- mus cum per ἱματισμὸν ἔνδοξον & τρυφήν expli- catur qualem gestant qui sunt ἐν βασιλείοις in *Regis aedibus* quippe qui a *purpureo* amictu no- men acceperunt *purpuratorum*. Primores enim

enim populi & reges principesque circumdati erant purpura, quod eo observasse juvat quia μαλακός ex Hebræo 750, voce regem denotante, descendit, unde ob regum Luxuriam eadem in vicinam notionem mollitiei degeneravit.

XVIII. Gentilibus etiam utriusque linguae scriptoribus vestimenta λευκά & alibi panni opponuntur βαπτοῖς & ἀλλαγαῖς purpureis. Inde natum illud Senecæ Ep. 7. Lanarum CONCHYLIA quis in pristinum CANDOREM revocabit. Pollux L. IV. §. 120. Μητέρες ἑταιρῶν ταυριδιόν π ΠΟΡΦΥΡΟΥΝ περὶ τὴν κεφαλὴν ἔχουσιν. ἢ δὲ τῶν νέων ΛΕΥΚΗ ἢ βυσσίνη ἐπικληρῶν δὲ ΛΕΥΚΗ, κροσσωτή. Πορνοβοσκοὶ δὲ χιῶνι ΒΑΠΤΩ καὶ ἀνθεῖνῳ περιβολαίῳ ἐνδέδυνται. Idem docet l. 3. Cod. de Vestib. Holob. Vellera adulterino colore fucata in speciem sacri MURICIS intingere non finimus. Nec tinctum cum Rhodino prius serico, alio postea colore fucari, cum de ALBO omnium colorum tingendi copia non negetur. Adde Martialem L. XIV. Ep. 155. & 156. opponentem Albam lanam lanae Tyriae seu purpureae. Videmus id ipsum ex veste purpurea quidem sed albo colore interstincta qualem apud Persas nemini praeter regem gestare fas erat, qualique Cyrum ornatum fuisse refert L. VIII. Cyropædias Xenophon; Eam Græci hinc χιῶνα ΠΟΡΦΥΡΟΥΝ μέσο ΛΕΥΚΟΝ vocarunt. Pariter περιπέτασμα ΛΕΥΚΟΝ opponitur ΒΑΠΤΩ apud Polluc. L. X. §. 32. Idem L. VII. §. 53. τὸ δὲ περιπέτασμα ἰμάτιον ἢ π ΛΕΥΚΟΝ

πῆχον ΠΟΡΦΥΡΟΥΝ ἔχον περὺφασμένον. Virgilius de reditu aurei seculi canit quod *lana alba tum tingenda* haud esset, sed sponte arietes & oves *purpurea* lana infectum iri Eclog. IV. vs. 43. sq. notis fatis versibus,

Confer Tibullum L. II. Eleg. IV. v. 31.

Et NIVEAM Tyrio MURICE tingit OVEM,  
& Martialem L. XIV. Ep. 139.

Indueras ALBAS exue CALLAINAS,  
hoc est *Cæruleas & purpureas*. Est enim κάλλιαια πορφυροειδὲς χρώμα. Vide Hesychium & alios. Idem Martialis de *Partheniana* toga quæ *alba* erat L. VIII. Ep. 28.

TE nec Amyclæo docuit vivere

Veneno (i.e. purpura taonica)

Nec Miletus erat vellere digna tuo.

Lilia tu vincis nec adhuc delapsa ligustra,

Et Tiburtino monte quod ALBET ebur.

Virgilius Georg. II. v. 465.

ALBA nec Assyrio fucatur lana veneno (i.e. purpura.)

Næque solum in vestitu sed in distinguendis aliis coloribus λευκός & πορφύρεος sapissime contrarii sunt. Pancrates apud Athenæum L. XV. opponit ΛΕΥΚΟΝ κελύων *album lilium* & ἵακινθον ΠΟΡΦΥΡΕΗΝ *hyacinthum PURPUREUM*, uti & de *hyacintho* & *liliis* canit Ovidius L. X. Metam. v. 215.

Ecce cruor qui fusus humo signaverat herbas,  
Desinit esse cruor TYRIOque nitentior  
OSTRO,

*Flos oritur, formamque capit quam LILIA*

*si non*

*PURPUREUS color his, ARGENTEUS*

*esset in illis.*

*De pudore genas candidas inficiente similiter loquuntur. Statius L. II. Theb. v. 231.*

*CANDIDA PURPUREUM fusa super ora RUBOREM,*

*O! ubi PURPUREO suffusus sanguine CANDOR.*

*Et L. II. Sylv. confer Ovid. L. II. de Art. Am. El. 5. v. 34. sqq. & Virgil. L. XII. Aen. v. 67. & passim. Notanda & hæc Horatii L. II. Sat. VI. vers. 102.*

*In locuplete domo vestigia: (ponit) RUBRO ubi COCCO,*

*Tincta super lectos canderet vestis EBURNOS.*

*Animadvertite enim poetam loqui de lectis eburneis in locuplete domo & hoc in notam luxuriei poni, & simul lautis conviviis adjungi v. 104. atque inde illustra locum Amosi VI: 4. ubi propheta increpans proceres Israël luxu & molliæ regia vestium cibi, potus &c. diffluentes, inter cetera notat eos dormire תרומה by תרומה ἐπι κλίνων ΕΛΕΦΑΝΤΙΝΩΝ super lectos EBURNEOS. Adde Plautum loquentem de navi quæ ex Asia venerat onusta mercibus exoticis! Sticho A. II. sc. III. vs. 52. sq.*

*DI. Lanam PURPURAMque multam (advexit navis) CE. Hem, qui ventrem vestiam:*

DI. LECTOS EBURATOS, *auratos. GE.*  
*Accubabo regie.*

Porro in denotanda pulchritudine foeminarum *ruber & albus* color junguntur opposite, velut apud Achillem Tatium L. I. p. 17. de eximia formae muliere ΛΕΥΚΗ πάρις, τὸ ΛΕΥΚΟΝ ἐς μέσον ΕΦΟΙΝΙΣΣΕΤΟ καὶ ἐμιμῆτο ΠΟΡΦΥΡΑΝ. Hinc descendunt illæ poetarum comparationes qui formarum decus ex *rubore & albedine* mixtum cum *ebore* conferunt tincto *purpura* ut Claudian. L. I. de R. Proserp. vs. 271. Virgil. XII. Aen. v. 67. sq. Ovid. L. II. Amor. Eleg. V. vs. 39. sq. ubi & *liliis* æquiparantur *rosis* mixtis, ex quibus pariter Cant. V: 10. illustrabis sponsa amicum suum laudante quod sit **CANDIDUS** & **RUBICUNDUS** quod vernaculo proferres adagio. Er siehet aus wie Milch und Blut. - - Denique de oppositione *albi & rubri* coloris hæc modo Virgilii notemus ne in re, vel sexcentis facile testimoniis comprobanda, converrendis testimoniis, nimii videamur. Eclog. IV. v. 25.

*Molli paulatim FLAVESCET campus arista,*  
*Incultisque RUBENS pendebit sentibus UVA.*  
 Uti enim *uva* matura *rubra* est, sic campus *aristis* plenus *messi* commodis *albescit* interprete Servio. Illustra enim & hinc Christi locutionem quæ huic est persimillima Joh. IV: 35. θεάσαθε τὰς χώρας ἔπι λευκαὶ εἰσὶ πρὸς θερισμὸν.  
 XIX. Verum & *oppositio* vestimentis *albis* amictorum illis qui ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια, nos eo ducit

ducit quo hac phrasi vestes *purpura tingere* aut reddere *rubicundas* intelligamus. Accensentur enim ὀλίγα illa ὀνόματα seu pauci homines *albis* vestibus induti, numero *fidelium*, qui contra pluribus in *Sardiensi* civitate habitantibus *opponuntur* qui vestimenta ἐμόλυναν & ideo numero *reproborum* & peccatis inquinorum accedunt. Quemadmodum enim *albus* amictus est symbolum *Sanctitatis* & intaminatæ vitæ Dan. VII: 9. Apoc. II: 5. III: 5. 18. IV: 4. VI: 2. 11. VII: 13. XIX: 14. Matth. XVII: 2. Ita contra oppositus illi *purpureus* & *rubicundus* est symbolum *peccatorum* & vitæ iniquitatibus contaminatæ, quod ipsum sub obscuriori locutione de *Sordidis purpura vestimentis* intendere Johannem haud dubie persuasi sumus. Inde est quod mulierem Apocalypiticam tot sceleribus maculatam viderit Johannes περιβεβλημένην πορφύρα καὶ κόκκινω *amictam PURPURA & COCCINO* Apoc. XVIII. 4. sic magna illa civitas Babylon mater *scelerum* & *iniquitatis* apparet περιβεβλημένη βύσσινον καὶ πορφύρας καὶ κόκκινον Apoc. XVIII: 16. quapropter & inter merces, summi luxus indicia, quas eadem vendit civitas, recensetur πορφύρα καὶ κόκκινον *purpura & coccinum* vs. 12. quemadmodum & de Tyro Babelis symbolo idem legimus Ezech. XXVII: 16. Eadem etiam de causa diviti helluoni, nactō ob peccata commorandi domicilium, ἐσθ' αἰδη vestis datur πορφύρα *purpura* Luc. XVI:

19. atque inde omnis iustitia nostra, quæ nulla est nisi nixa iustitia & meritis Christi quod omnes *impuri simus* dicitur *per similes* esse **מִיָּדָי VESTIMENTO sordidato aut infecto CRUORE menstruo** Esaiæ LXIV: 6. unde eleganter Græci reddidere *ὡς πᾶσι & ἀποκαθμύεντι*. Est enim *ἀποκαθμύεντι* mulier quæ seorsim sedens juxta legem, patitur *menstrua*. Vide Alexandrinos Levit. XV. vs. ult. XX: 18. Christus quamvis & aliis de causis, tamen & inde quia fert *peccata nostra*, indutus conspicitur **INDUMENTO RUBRO** Esaiæ LXIII: 1. 2. Apoc. XIX: 13. Ad vestimenta etiam *purpurea & alba* ut symbola *sanctorum & reproborum* alluditur inde nobili illo loco Esaiæ I: 18. *si fuerint peccata vestra velut COCCINUM; ALBESCENT tanquam nix; si fuerint velut vermiculus* (quo tinguntur vestes *purpura* inficiendæ) *velut LANA erunt ALBA*. Sanguis enim in sacris litteris & *rubicundus color* est perpetuum *peccatorum* symbolum. Ezech. XVI: 6. & passim, quo cæsus victimarum *sanguis* aliaque *cruenta cultus Levitici* spectant ministeria. Nescio an & inde Christo, ex utrisque *vestibus purpuram* induisse legamus Matth. XXVII: 28. quo eum *scelestum* esse *hominem* (quæ nefariorum illorum hominum *blasphemia* sententia erat) eò symbolo indicarent. Sed hæc peritioribus *dijudicanda* exhibemus.

XX. Ad uberiores vero harum rerum elucidationem, quo sciamus cur illi qui Sardibus

bus vestes ἐμόλιον sive *purpureas* reddiderunt, in *reproborum* censum referantur : notandum omnino , & inter ipsas gentes , si à primatibus & regibus discesseris gestare *purpuram* , maximo *dedecori* datum esse , eaque vestitos homines in summe *delitiosorum* locum numeratos, & præ ceteris insigniter esse notatos. Schickardus in *Jure regio* Cap. V. Theor. XVII. p. 360. citat locum Talmudicum , ubi Judæi tradunt, *Quia FILIAE GENTIUM* ( quæ extra communionem Ecclesiæ Dei erant ) se exornabant *vestibus holosericis & PURPUREIS* : ideo jussisse legem ejusmodi *Captivam vestes pretiosas, quibus viros incitat, amovere ac vetustate detritas induere.* Observa præterea hæc Martialis L. VIII. Ep. 48. in Crispinum cui *purpurea abolla* à fure sublata erat,

Non QUICUNQUE capit SATURATAS  
MURICE VESTES,  
Nec nisi DELITIIS convenit ille color.

Tibullus L. II. Eleg. IV, vs. 30.

O ! PEREAT quicumque legit viridesque Sma-  
ragdos,  
Et niveam TYRIO MURICE tingit  
ovem,

Hæc dat avaritia causas ☞ Coa puellis  
Vestis, ☞ è rubro lucida concha mari,  
Virgilius L. IX. Aen. conferens veterum Ita-  
liæ incolarum durio rem masculamque vitam  
cum scemineo Trojanorum luxu, illorum in  
ex-

exprobrationem ceteris & hoc addit vs. 614.  
**VOBIS** *picta* **CROCO** & *fulgenti* **MURI.**  
**CE.** *vestis.*

ubi hæc Servius (*fulgenti murici*) **PURPURA.**  
*Hanc autem* **VITIO** & **DEDECORI** *apud MA-*  
*JORES fuisse constat, quamobrem citat Hæc Ju-*  
*venalis Sat. XIV. v. 187.*

-- *Peregrina ignotaque nobis,*  
*Ad SÆLUS* *atque Nefas quæcunque est*  
**PURPURA** *ducit.*

Hinc enim est quod Satyrici tanta styli acri-  
 monia invehant in homines *purpuratos.* Ea-  
 propter Juvenalis Crispinum non modo no-  
 tat quod *Tyrias humero lacernas circumdederit*  
 Sat. I. v. 27. Sed & virum, qui Magister equi-  
 tum Romæ fuit & summis dignitatibus fulsit,  
 inde *Purpureum scurræ* vocat Sat. IV. vs. 31.  
 Etiam Sat. XII. vs. 38. *vestem purpuream* false  
 dicit **TENERIS** (seu mollibus) quoque *Mace-*  
*natibus aptam* confer Horatium L. II. Sat. VI.  
 vs. 103. Martialis L. V. Ep. 8. his invehitur in  
*Phasidem amictum purpura,*

**PHASIS PURPUREIS RUBER LA-**  
**CERNIS,**

*Et jactat tumido* **SUPERBUS** *ore . . .*  
*Hæc & dum talia refert* **SUPINUS,**  
*Illas* **PURPUREAS** & **ARROGANTES,**  
*Jussit surgere* **Lectius** *lacernas.*

Eidem *purpura* audit inde *deicata* L. III. Ep. 2.  
 Quemadmodum enim Romani hunc vestium  
 luxum a Græcis nacti sunt, ita hi eundem

*Per-*

*Persis* debent unde purpura βαρβαρίων Ἴσημα  
 vocatur. Vide Aelianum L. IV. Var. Hist. c.  
 22. & ibi Perizonium, atque Spanhemium ad  
 Aristoph. Plut. vs. 528. & 530. Discimus qui-  
 dem ex eodem comici loco aliisque, quæ ad  
 eum doctissimi cum veteres tum recentiores  
 interpretes observarunt, Athenis *novas nuptas*  
 indutas fuisse purpura: quod in sym-  
 bolum *commixtionis* fiebat veteribus id Criticis  
 observantibus: sed præter hunc usum pur-  
 pura Athenis non nisi *luxuriosorum* erat indu-  
 mentum. Notum quantopere Alcibiadi illic  
 vitio datum sit vestitu amicti *purpureo*, qua-  
 lis inde ἀλκιβιάδιον dictus. Erat enim Alcibia-  
 des summopere delitiis addictus Nepos Al-  
 cib. c. 1. 2. *Purpureus* enim amictus ut viris ho-  
 noratis maxime indignus, relictus fuit *fæmi-  
 nis* & quidem mollioribus, *meretricibus* & *leno-  
 nibus*. vide Pollucem L. IV. §. 120. & maxime  
*Bacchantibus*, ut pluribus hoc ex Salmasii no-  
 tis ad Tertull. de Pallio p. 326-330. & Spanhe-  
 mii ad Juliani Cæsares, quas ipse ad Aristo-  
 phanem citat, hauries. Etiam *croceam* vestem  
*Bacchantibus* & *histrionibus* tantum dari, ceteris  
*ignominie* causa, animadvertit idem vir illu-  
 stris ad Callim. H. in Jovem. p. 99. sqq. De-  
 nique & *viris in Lydia*, adeoque & *Sardibus*  
 minime *decoram* fuisse purpuram ex historia  
 Herculis apparet, qui se indui Omphales pur-  
 pura passus est, cum indignissimum in mo-  
 dum inter *Lydorum* fæminas pensa trahebat,  
 id

id quod §. 9 monuimus. Quapropter & satis  
causæ fuit Johanni, cur acriori stylo *Sardien-*  
*ses* illos, qui vestes suas ἐμάλυναν, exciperet,  
Tantum est.



V.

CHRISTOPH. AUG. HEU-  
MANNI,

REFUTATIO FABULAE  
DE JOHANNE APOSTOLO

*in fervens oleum conjecto.*

PROOEMIUM.

**N**on est dissimulandum, tantum fuisse pri-  
mis sæculis fingendi licentiam, tam pro-  
nam in credendo facilitatem, ut rerum  
gestarum fides graviter exinde laborave-  
rit, nec orbis terrarum tantum, sed &  
DEI Ecclesia, de temporibus suis mythicis merito  
queratur. His doctissimi Oxoniensis Episcopi,  
Joannis Felli, verbis, quibus in (a) Præfatio-  
ne, Pseudo-Cypriani Confessione præmissa, u-  
titur, ordiri visum est hanc Dissertationem,  
scilicet ut tanti judicis auctoritate suffulti fa-  
cilis veniam impetremus a lectoribus, vete-  
rum

(a) Pag. 53.

rum scripta justo minori ἀπιστία pertractantibus. Ii quidem, qui recentiores historiae ecclesiasticae scriptores pervoluerunt, hac de re nihil dubitant, reperientes quippe in eorum libris integros fabularum catalogos. Sufficiat, unum nominasse, Jo. Andream Schmidium, Abbatem, summum eundemque celeberrimum Helmstadiensis Academiae Theologum, qui inde ab anno cō 16cc. historiam primi & aliquot sequentium seculorum ecclesiasticam fabulis emaculatam dedit disputationibus aliquot Academicis. In quibus tamen cum silentio praeterierit historiam de Joanne apostolo in fervens oleum conjecto, ejus examini destinata esto, quae sequitur, Dissertatio.

Σύνοψις.

Fons hujus fabulae ac testis unicus est Tertullianus, I. Testimonia σύμφωνα Prochori, Abdiae & Polycarpi rejiciuntur tanquam spuria, II. Maximi quidam viri jamdudum de veritate hujus fabulae dubitarunt, III. Refutatur haec historiola silentio omnium ceterorum veteris aevi scriptorum, IV. De origine hujus fabulae, V. Fabulae παραδόξοι, VI. Aliud exemplum nimiae credulitatis Tertulliani, VII.

I.

eorum, quae facta dicuntur esse, veritatem niti constat fide scriptorum, quibus ea comperta fuisse satis probari potest. Circumspiciamus igitur testes, qui

historiam commemoratam de Johanne literis memoriæ prodiderunt, eosque sub examen revocemus. Antiquiorem quidem non habemus *Tertulliano*, qui in libro de *præscriptionibus adversus hæreticos* (b) ita differit: *Hæbet Romam, - - ubi apostolus Joannes postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.* Hujus fide idem repetit *Hieronymus* & in *Comment, ad Matthæi cap. XX, 23.* & in libro I. *adversus* (c) *Jovinianum*. Posteriore loco sic fatur: *Refert Tertullianus, quod (Joannes) a Nerone missus in ferventis olei dolium purior & vegetior exierit, quam intraverit.* Ubi quidem *Marianus Victorius* pro a Nerone rescripsit *Roma*: sed nec abhorret a vero, *Hieronymum* memoria lapsum *Neronem* scripsisse pro *Domitiano*: quæ conjectura etiam *Kortholto* (d) arrisit. Post id tempus magno applausu id historiolæ fuit exceptum, narrantibus eam citra falsi suspicionem *Jornande, Adone Viennensi, Haymone, Martyrologio Romano, Beda, Reginone, Mariano Scoto, Vincentio Speculatore*, quorum verba recitat *Sagittarius* in libro de *cruciatibus* (e) *martyrum*: ut (f) recentiores, qui eandem

(b) Cap. 46. (c) Tomo II. Operum p. 27. a. (d) Differt. de persecutionibus sub Nerone, Domitiano & Trajano §. 23. (e) Cap. X. §. 46. & 47. p. 198. sqq. (f) E. G. Wagenfeilium, Caveum, & Clericum, qui pro vera historiola istam adducunt, ille in *Pera juven. Locul. III. P. 2 p. 106*, iste in *Antiquit. Apost. in Vita Joannis §. V. p. 515.* hic in *Hist. eccl. Sæc. I. p. 509.*

dem historiam inter veras repetunt, præteream.

II. Equidem tres habeo testes alios, qui, nisi & personam & ætatem mentirentur, omniforent exceptione majores. Sunt illi *Prochorus*, *Abdias*, & *Polycarpus*. Hujus in fragmento quodam, quod & *Feuardentius* exhibet in *Annot. ad Irenæi lib. III. cap. 3*, & *Halloixius* in *Vita Polycarpi cap. XVIII.* hæc exstant: *Legitur ¶ in dolio feruentis olei pro nomine Christi beatus Joannes fuisse demersus.* *Abdia* (g) autem hæc est narratio: *Proconsul (Ephesi) iussit eum velut rebellem in dolio feruentis olei mergi. Qui statim ut coniectus in aeneo (lege abeno,) est, velut athleta unctus, non adustus, de vase exiit.* *Prochori* verba omittamus, ne eandem cramben terque quaterque apponamus. Tantum paucis trium horum testium auctoritatem labefactabimus. Quod quidem ad *Polycarpi* verba attinet, ea soricis more *vo Deian* suam prodere, *Halloixius* & *Usserius* judicant, cum *Polycarpus* non videatur scripturus fuisse: *Legitur.* Ac universa illa *Polycarpi* fragmenta pro subditiis repudiat doctissimus quisque: referente eodemque comprobante *Tenzelio* in *Miscellaneis (h) ecclesiasticis.* *Abdiae* vero & *Prochori* nomine inscriptos libros a nebulonibus esse compositos, ne cordatiores quidem

X 2

in

(g) Lib. V. Historiæ Apostolicæ cap. 2. p. 934. edit. Fabricii.

(h) P. I. Exercit. IV. §. 49. p. 163, sq.

in Pontificis Romani (i) castris diffidentur: tantum abest, ut Protestantium Theologi critici tam sint obesæ naris, ut illudi sibi & imponi patiantur. Evolve, quisquis dubitas, summi Polyhistoris Jo. Alb. Fabricii Codicem (k) *N. T. apocryphum*.

III. Fatendum itaque nobis est, totam rem redire ad fidem & auctoritatem *Tertulliani*. Hunc enim *Hieronymus*, utrumque cæteri scriptores sequuntur ducem. Unius igitur *Tertulliani* testimonio nititur hæc narratio. Quam antequam rigidiorum sub censuram vocemus, non alienum fuerit, doctissimos quosdam viros adducere, qui, nulla *Tertulliani* habitatione, eam historiolum in fabularum censum rejecerunt. Sane *incertam, si non plane fabulosam*, hanc narrationem pronuntiat (l) *Spanhemius*: *incertissimam* eandem diserte vocant *Centuriatores* (m) *Magdeburgici*. Valde de ejus veritate dubitant (n) *Cellarius* ac (o) *Thomasius*: prorsus fabulosam judicat *Anonymus* quidam in *Observationibus selectis* Halæ paucis abhinc annis vernaculo sermone (p) editis.

IV.

(i) Ipse *Baronius* ad A. C. 92. Sect. I. Prochorum vocat *autorem mendacissimum*.

(k) P. 388. sq. & 816. sq.

(l) *Compend. Hist. eccl.* p. 29.

(m) *Cent. I. lib. 2. cap. X* p. 571.

(n) *Disp. de Ecclesiis Aſiæ Apocalypticiſ S. XIV.*

(o) In *Cautelis circa præcognita Jurisprud. eccl.* cap. X. §. 5. p. 98. sq.

(p) *Tomo III. Obs. XII, §. II. 12. & 13.*

IV. Procedat igitur *Tertullianus*, & fidem suam, si quidem potest, liberet. Sed vereor, ut se nobis probet testem satis locupletem. Certe *Baronius*, qui tamen ipse perraro satis acuminis habuit ad verum a falso discernendum, gravi præjudicio (q) reprehendit *Tertulliani* credulitatem, quam in eo tantam fuisse scribit, ut pro vero tradiderit, quicquid vel a mulierculis relatum acceperit. Vix moveremur hoc *Baronii* iudicio, nisi ei suffragaretur silentium cæterorum, qui historiam præcæ ecclesiæ descripserunt. Fallitur enim *Hallenſis Observator*, quem modo commemoravimus, cum idem narrari scribit ab *Ireneo* atque *Eusebio*. Quare cum nec *Ireneus*, nec *Eusebius* in *Historia ecclesiastica*, nec *Hieronymus* in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum*, vel minimam injiciant hujus rei mentionem, manifestum est, eam ab ipsis pro fabulosa fuisse habitam. Inauditam enim eam, fuisse iis, dici nequit, cum & *Tertulliani* &, quem hic secutus est, vulgi narrationem ignorare haud potuerint. Nec obstat, quod aliis duobus locis eam refert *Hieronymus*. Nam & ita refert ibi, ut facile appareat, eum non certa & explorata, sed relata, traditurum fuisse; & tertium relaturus, eam, idque suo (r) loco, haud dubie fuisset, si ei fidem habuisset.

X 3

Ad-

(q) *Annal. Eccles. T. II. ad A. C. 201.*

(r) Id est, in *Catalogo script. eccles.*

Adjungo Hippolytum, qui postquam in libro de *Antichristo* cap. 30. & 31. Esaiæ & Jeremiæ supplicia memorasset, cap. 36. de Joanne simpliciter scribit, ejectum eum in exilium fuisse, haud sane prætermisurus illam de ferventi oleo historiam, si ipsi nota ac vera visa fuisset. Nec *Origenis* silentium prætereundum est silentio, cujus in *Comment ad Matth.* ita (s) fluunt verba, *Huetio* interprete: *Calicem sane ebiberunt; & baptisate baptizati sunt filii Zebedæi, quoniam Herodes Jacobum, Joannis fratrem, gladio interemit; Romanorum autem Imperator, quemadmodum perhibet (didicere) Traditio, Joannem, veritatis verbum testimonio suo comprobantem, in Patmon insulam relegavit.* Ac permirum sane est, hæc legenti *Huetio* non suboluisse errorem vulgaris fabulæ, sed eum in nota (t) ad ista *Origenis* verba illam de feruentis olei labro, ex quo impune redierit Joannes, narrationem, tanquam supplendæ historiæ causa, adjecisse. Cæterum hoc veterum silentium apud cordatos homines plurimum valet, cum nullo modo veri simile sit, supplicium illud plane singulare atque inusitatum, & a quo Joannes miraculo liberatus sit, a scriptoribus tam curiosis, tam doctis, tamque multis fuisse prætermisum. Quid? quod nec (u) *Pseudo-Dorotheus* quidem

(s) P. 417.

(t) P. 72.

(u) P. 471. edit. Fabricii.

dem *Tyrius* & (x) *Pseudo-Hippolytus*, duo fabulosi de mortibus Apostolorum scriptores, in descriptione Joannis ullam olei illius mentionem faciunt, nec *Isidorus* (y) *Hispalensis*, qui nec ipse nugarum anilium parcus est in suo *de vita & obitu Sanctorum* opusculo. Accedit, quod *Tertullianus*, quem sequuntur *Martyrologia*, Romæ id factum scribit, *Pseudo-Abdias* Ephesi: quæ posterior relatio veritati propior videtur (z) *Fabricio*. Addimus argumentum, quo doctissimus *Anonymus Halensis* utitur ad historiam hanc mendacii coarguendam, quod scilicet DEUS nullum apostolum vel doctorem priscae Ecclesiae a supplicio jamjam subeundo miraculose liberaffe in monumentis fide dignis legatur.

V. Superest, ut fabulae hujus originem investigemus. Doctus ille vir, quem proxime laudavi, suspicatur, Domitianum voluisse Joannem in oleum feruens injicere, sed id consilii postea mutasse. Hæc vero conjectura mihi non probatur, ob idem, quo jam usus sum, argumentum a veterum silentio petitum. Quid ergo? An forte homonymiæ hæc fabula suos debet natales, ita ut de Joanne apostolo traditum sit, quod alii cuiquam Joanni acciderit? Nec hoc quidem dixerim, ratus, non esse, cur certam ejus originem

X 4

quæ.

(x) In Append. Tomi I. Operum Hippolyti p. 30.

(y) P. 546. edit. Fabricii.

(z) Lib. cit. p. 535.

quæramus. Nam adeo multæ eademque putidissimæ fabulæ leguntur in veterum scriptis de Christo, Maria, & Apostolis, ut dubitari non possit, quin pleræque omnes a vanis stolidæque piis ingeniis effictæ sint. Paulisper subsistamus in historia Joannis nostri, quæ & aliis onerata est fabulis jam pridem explosis. Ecquis enim nescit, traditum esse (a) olim, eum non exspirasse animam, sed tantum obdormivisse? Idem traditur poculum veneno infectum innoxie hausisse, quam fabulam refellit eruditissimus vir *Jacobus (b) Thomasius*. Eundem legimus semper in fronte gestasse laminam auream: id quod confutavit *Franciscus (c) Burmannus & Jo. (d) Ciericus*. Idem, idque æque falso, ad metalla fuisse damnatus legitur: quæ narratio jugulata est ab *Arnoldo (e)* in *Historia Christianorum ad metalla damnatorum*. Quid igitur mirum, pariter fabulam de ferventi oleo circumlatam de Joanne apostolo fuisse, atque a *Tertulliano*, quem interdum avide credulum esse, etiam *Tanaq. Faber (f)* observavit, secure creditam propagatamque?

VI.

- (a) Vid. Fabricius loc. cit. p. 533. sq.
- (b) Dissert. de poculo S. Joannis cap. III.
- (c) Disp. VIII. de Ministris N. T.
- (d) Biblioth. sel. T. IV. p. 125.
- (e) S. II. p. 541. sq.
- (f) P. II. Epilt. Crit. 12.

VI. Neque defunt historiae *περὶ ἄλλοι* illi narrationi de dolio ferventis olei, ex quo incolumis evasisse dicitur Joannes. Ut enim omittam, quæ frequenter sive testantur sive fabulantur Martyrologia (g) de martyribus in fervens oleum injectis, etiam Thomam Apostolum Pseudo-*Abdias* (h) refert in fornacem thermarum immisum fuisse, ex eoque postera die exiisse salvum ac sospitem. Quid? Jam olim Judæi nugati sunt, Abrahamum Nimrodi jussu in ignem conjectum inde nullo corporis damno regressum fuisse. Quod igitur de Thoma, quod de Abrahamo mendaciter narratur, idem de Joanne apostolo confictum si credimus, iis, quæ antea produximus, inducti argumentis, nemo jure nobis vitio dare poterit.

VII. Unum addimus ad fidem *Tertulliani* historicam labefactandam. Scilicet idem *cap. V. Apologetici* narrat, Tiberium Imp. ad Senatum retulisse consilium suum de Christo inter Divos adsciscendo, additque causam, cur id Senatus improbarit. Sed procul vero (i) id esse, non solum *Tan. Faber* contendit

(g) Vid. *Sagittarius* lib. & cap. cit. §. 43. 44. & 45.

(h) *Lib. IX. cap. 14. p. 715.*

(i) Idem ostendere, constitutum nobis erat ante hos undecim annos. Sed accidit tum ut repensitata accuratius subductisque rationibus, defendendam nobis sumeremus sententiam, ad cujus jugulationem tum

dit ac *Samuel Basnagius*, ille in *Epistolis Criticis*, iste in *Exercitationibus Anti-Barontanis*, sed uberius etiam disputat *Antonius van Dale Dissert. II. de Oraculis Cap. 2. p. 451. -- 459.* quorum vestigiis nuper insistens *Clericus (k)* eandem fabulam breviter, sed acutissimis usus argumentis, confutavit.

nos accinxeramus. Quod si dissertationem illam, inscriptam, de *Decreto Tiberii*, quæ *Christum* voluit referre in numerum *Deorum*, quæ primum *Hanovizæ* a. 1708. edita, & deinde reeusa est *Erfurti* a. 1703. vidisset *HEUMANNUS*, *Vir πολυμαθης*, mitius fortassis de illa *Tertulliani* narratione fecisset arbitrium. Quando tertium illa excudetur, id quod propediem fiet, nam argumenta celeberrimi *CLERICI* majoris ponderis quam esse illa, quæ a *Fabro*, *Basnagio* & *Dalenio* allata fiere, tum vidimus, habenda sint, videbitur. T. d. H.

(k) *Hist. Eccles. sæc. I. p. 325. sq. s. 96. 97. & 98.*

JOHANNIS DANIELIS  
SCHRAMMII,  
HANNOVERANI  
*Delineatio Vocum*

נָדָב & נְדָבָה

Ad mentem

*Esaiæ, XXIX: 1 --- 8.*

In qua utriusque vocis significatio exhibetur, & ostenditur, non agi h. l. de Hierosolymæ vastatione, ut visum est hæctenus interpretibus, sed esse comminationes Sennacheribi, quæ à Propheta false refutantur.

SUMMARIUM.

Titulus cujusvis Prophetæ curatissime est observandus, Regumque hitoria commendatur. §. 1. An *Esaias* titulum adjecerit? §. 2. Trajectus ordo libellorum in *Esaiæ* volumine unde? §. 3. verba h. l. ad tempora *Hiskia* regis pertinent §. 4. Quatuor primis versiculis fatiur *Saucherib* §. 5. sensus *primi versus* docetur §. 6. נָדָב non denotat altare §. 7. 8. sed arcem *Zion* §. 9. Solvuntur dubia, quibus ut fundamento in- nituntur plurimi, §. 10. 11. nostra sententia §. 12. Ver-

su 2. alia oboritur significatio vocis *למאן*, §. 13. quæ probatur e Scripturæ locis §. 14. & 15. sensus verborum monstratur §. 16. *Sancherib* pergit in depromendis jaçantiae ampullis §. 17. idololatriæ ortus §. 18. *וַיִּבֶן* cur dicatur ventriloquus. §. 19. An per hos intelligantur spiritus maligni? homines sagaces fuisse ostenditur §. 20. Ex rerum Circumstantiis poterant aliquo modo prædicere futura §. 21. officium consulentium §. 22. Receptacula Pythonum ad imponendum erant aptissima. §. 23. Testimonia huc facientia e *Cicerone* adducuntur §. 24. Modus qui fuit adhibitus olim in edendis oraculis, & *tripus*, quid? docetur §. 25. *Langii* sententia, §. 26. Horror consultantibus hoc modo est incussus, *Sargon* igitur inde sumit figuram, §. 27. Sequitur responsio *Esaie* nomine Dei §. 28. Ad *Romanos* hæc omnia non quadrare asseritur §. 29. Sed contra *Sancheribum*, id quod ex eventu patet rerum. §. 30.

§. 1.  
**P**rophetas lecturus historiam regum probe sciat necessum est. *Historia* enim, ut verissimè a *Tullio* ipso dictum relinquitur, est *lux veritatis*. *Enuncia vetustatis*. Fieri igitur, non potest, ut sine ejus cognitione veritatem rerum veterum & a nostra memoria remotarum, quisquam perspiciat, nedum aliis patefacere atque enodare possit. Ita res sese etiam habet cum prophetis. Vates enim hi divinitus afflati, semper respexere facta aut regum aut populorum, in quorum gratiam commissa Dei literis mandarunt. Hinc tot comminationes, consolationes, totque vaticinia de regno *Messia*  
 spi-

spirituali, de evertenda republica. Judaica  
 judicia, in medium sunt producta. Quod suo  
 tempore B. Lutherus magnopere commenda-  
 vit in Præfat. ad Esaiam, & passim alibi, di-  
 cens : *Titulum in Esaiâ aliisque prophetis, h. e.*  
*historiam regum in titulo comprehensam, cu-*  
*ratissime esse observandum, ne quis putet se sci-*  
*re Esaiam, cum tamen ne primum quidem*  
*versiculum cognitione sua exhausserit. Sic*  
*est: Inscriptio commentarii instar est luculen-*  
*tissimi, nec oscitanter prætereunda. Si au-*  
*tem hæc est omissa, ut factum apud Joëlem,*  
*Obadiam, Nachum & Habacuc, ex substra-*  
*ta materia, majori quidem difficultate, de*  
*Historia, in quam colliment Prophetæ, ju-*  
*dicandum.*

§. 2. An autem ipse Esaias titulum adjece-  
 rit, non est verosimile. Collectorem potius  
 Esdras, vel alium quendam scriptorem sa-  
 crum fuisse autumo, qui in gratiam posteri-  
 tatis majoremque lucem inscriptionem ador-  
 naverit. Id quod inde colligo, quia homi-  
 nes tum existentes probe norant, nec opus e-  
 rat ipsis ut indicaretur tempus, cum rerum fa-  
 cies viva ob oculos versaretur, & ipse Esaias  
 Propheta abunde toto regno sua ætate esset  
 notus. Nec propheta potuit Regum seriem  
 enarrare, propterea quod ipsum latuit, an  
 per tot annorum spatium adhuc esset in vi-  
 vis, vixit enim sub quatuor regibus per octo-  
 ginta annos, & quod excurrit. Ast in exitu  
 vita

vitaē forsan collegit, dicat aliquis. Et hoc falsum, alias in ordinem rede-gisset totum volumen, quod minime factum, teste Luthero & experientia. Nec etiam debemus putare, totum Esaiæ volumen esse continuam concionem. Nam aliquoties unum caput continet unam concionem interdum duas, tresve: Et ejus sermones non eo ordine sunt collecti, quo dicti & pronunciati. Conf. *Brentium in Esa. cap. I.*

§. 3. Nemo interea putet, hoc esse factum negligentia auctoris divinitus acti, quod scilicet in recensendis libellis ordo non sit servatus. Hoc sane foret dictu abominabile, quin plane nefandum homini Christiano facinus, cujus & fugitivus erubesceret Judæus. Sed culpa redundat in tot diversa, tristia & deploranda discrimina, quæ Judæi tantis in migrationibus ac vastationibus experti, partim justo Dei judicio, partim ob temporis longitudinem sibi contraxerunt, ita ut mirum sit, codicem sacrum adhuc esse incorruptum. Quam admirabilem Dei providentiam stupendumque divini amoris testimonium, *Sixtinus Amama*, omnesque boni non satis possunt de-mirari.

§. 4. His præmissis, ad propositum me accingo. Verba Esaiæ cap. XXIX. 1-8. co-hærent. Non autem ad *Ussiam*, non ad *Jothamum* aut *Achasum*, sed ad *Hiskiam* perti-ment. Nec sunt comminationes proprie ita dictæ

dictæ & primario in Hierosolymam ; *sed* sunt *consolationes* mellis plenæ in requiem Hiskiaæ & populi : nec ipsius Dei verba, quasi irasceretur Judæis, *sed comminationes* tantummodo *Sancheribi*, qui nimis liberalis est in expromendis jactantiæ ampullis, quas propheta non solum repetit per ironiam, *sed versu quinto* usque ad octavum, inclusive, nomine Dei, falsissime refutat. Id quod ex sequentibus ad oculum patebit.

§. 5. Quatuor igitur primis versiculis (prout nunc textus est divisus) fatur *Sancherib*, minitans *Hiskiaæ* & *Judæis* ultimam necem & ineluctabile excidium, sive sit factura per nuncios, sive per literas, sive pro affectu & arrogantia elatæ *Sancheribi* mentis primæ. Artificium nimirum prophetis admirabile delineandi hostium animos vivide, *sed & Dei* similiter. Respicere autem *Esaïam* ad *Hiskiaæ* ævum, colligitur ex sequentibus & re substrata, quæ omni ex parte, tum ratione *mignarum*, quas *Sancherib* in *Judæos* evomuit, tum ratione tristissimi eventus, quem *Assyrius* sensit simul toto cum exercitu, exactissime quadrat. Deus hîc non terribilem se præbet adversus *Judæos*: frustra igitur e suggestu detonatur in prævaricantes *Judæos*, hoc dicto præpostere adplicato in *Hierosolymorum* devastationem proprie dictam, eo quod versu 5. & seqq: propheta testetur, hostem nil inde capturum *lucris*, *sed ipsum excidium*, omnes-

nesque ejus machinas in nihilum abituras. Dantur interea infinita alia loca, ubi ex instituto de excidio urbis & Judæorum agitur.

§. 6. Sancherib itaque loquitur *Vers. 1.*  
הוי אריאל אריאל קרית חנה דוד ספו שנה  
: על שנה חצים יקפו : Translatio ita se-  
se habet. *Væ! arci, arci, urbi quam expu-  
gnavit David, vel qua refedit David (ita ut  
particula אשר subintelligatur, quod  
agnovit Ludov. de Dieu ad cap. XV. E-  
saiæ.)* *Addite annum ad annum; tunc festivitates  
excidentur.* *Quasi diceret: Thut noch ein  
Jahr zum andern; so sind euer Feyer- und  
Freuden-Tage aus. In 2. Jahren ist es mit  
euren Fest-Tagen vorbei.* *Gallica versio ita  
sonat. Malheur à Ariel, à Ariel, à cette ville,  
qui a été prise par David il se passera encore quel-  
ques années: ses fêtes dureront encore quelque Tems.  
Vel in hunc modum sensus poterit circum-  
scribi. Væ vobis incolis arcis Zionis! addi-  
te tantummodo duos annos, sitis læti, sitis re-  
fractarii (ita ut permissive reddantur) sed  
festa vestra summovebo, omnemque in iis  
lætitiâ convertam in luctum.* *Tam arro-  
ganti tamque elevato supercilio respiciebat  
Judæos Sancherib, tum temporis, cum ex  
Ægypto reversus secunda obsessurus Hiero-  
solymam vice, quando Hiskias ab ipso defece-  
rat, sancita societate cum Ægyptiis 2. Reg.  
XVIII. 17. sqq. Esa. XXX. Duobus annis præ-  
terpropter, sicuti colligi potest, ante Assyrio-  
rum*

rum stragem. Hæc historia est & occasio. Si curatius mente volvitur, clarissimam affundet lucem, qua non lucidior ulla, Sacra Scriptura ductrice infallibili & luculentissima. Minatur enim Sancherib Judæis ruinam brevi post eventuram, urbe Lachis, Libna, aliisque finitimis civitatibus expugnatis. Quod non erat negotium aliquorum mensium, sed annos poscebat.

§. 7. Omnes autem quos ego hæctenus quidem perlustravi interpretes, per אֲרִיאֵל proprie intelligunt altare, dein per synecdochen templum & urbem. De urbe certo sensu verum, sed de ara nullatenus: Dicam quod res est. Omnes, nimis secure autem, Chaldæum sunt secuti: Ita traditio ab uno ad alium, & sic in infinitum propullulavit, ut crederes hanc explicationem civitate esse donatam. Sed multitudo errantium, non parit errori patrocinium. Boni illi ac eruditissimi viri, fecere quod potuerunt, posteris etiam aliquid daturi. *Castalio in Criticis anglicanis* ad derivationem respiciens, monstrum inde deduxit. Vertit enim: *heu Leodeus, Leodeus*. Dicunt inter alia: Sicut leo, quando animalia devorat, sanguine madet; ita altare sacrificiorum redundare cruore. Hinc à Bocharto scriptum relinquitur, mulierem quandam Judæam extrema indignatione irruisse quondam in altare, idque verberibus ex-

cepisse, dicens : o lupe, lupe ! quamdiu perges comedere bona & opes filiorum Israel ? Fides autem sit penes auctorem, & quaeritur an fas fuerit mulierculis illuc commeandi, quod merito negat *Lundius c. 24. p. 351.*

§. 8. Adde etiam quod simile hoc sit nimis longe petitum, propterea quod non omnium sacrificiorum cruor erat spargendus ad aræ latus, conf. *Outramum de sacrificiis l. 1. c. 16.* Et convenientia ista leonis cum altari tanta non est, quin ad ursum & lupum eodem jure possit applicari. Sacrificia etiam illa quæ comburenda, non erant cruenta, sed mundata ab omni cruore: nec sanguis sparsus hærebat in superficie altaris, sed ad ejus latera, inferius: nec ara terribilis adspectu erat, ob effusum sanguinem, siquidem maxima pars profusi cruoris ad altaris basin perductum subterraneum se exonerabat in amnem Kidron. Nullibi præterea legi in S. literis, per *Ariel* denotari altare, cum neque templum neque ara externam referat leonis formam, quod tamen nonnulli nobis persuadere satagunt, eodem modo ut aliqui Geographi puerulis propinant Europam, sub specie virginis sedentis. Egregium sane monstrum!

§. 9. *Ariel* itaque mihi h. l. nihil est aliud quam *arx Zion*, sed *Hiskiaë* regis, intra moenia Hierosolymorum, domus regia munita, prope montem *Moriam*, è regione templi ad Septentrionem, in angulo occiduo. Per

Synecdochen vero pro tota urbe accipi potest, superiori & inferiori, tanquam pars pro toto. Et hæc arx pro more istius ævi erat munitissima, & nominatur jam *Ariel*, leo fortis, ad similitudinem verborum Jacobi Patriarchæ, quæ protulit moriens in honorem tribus Judæ, pro ejus potentia & eminentia demonstranda, quam consequeretur inter filios Israelis, cum ratione prærogativæ spiritualis de Messia, leone tribus Judæ, ex ea nascendo, tum respectu beneficiorum temporalium. Bene hac de re differit *Frantzius Hist. Animal.* p. 73. *Tota, inquit, politia Judaica, dicitur leo & catulus leonis, propter summam firmitatem illius imperii, quod necessario duravit usque ad ipsum Christum, & quod fuit in omnibus imperiis mundi tunc temporis celeberrimum. Etsi autem diversis temporibus multos habuit insignes judices & reges, potentia & sapientia celebres, tamen Christus <sup>cap. xlv</sup> solus dicitur leo, i. e. omnium regum potentissimus præstantissimusque &c. Christus enim vocatur Leo, Apoc. v. 5. vicit leo de tribu Juda. Ob fortitudinem nimirum summam & divinam, quam in resurrectione ex mortuis, & victoria adversus mundum, diabolum & infernum obtinuit. Et Jacobus jam jam emigraturus hinc ad cœlestia gaudia, nuncupabat Judam tribum, leonem catulam. Gen. 49. 9. Hinc *Drusius*, apud *Glassium Rhet. S. c. 8.* absque hæsitatione, sequens Judæorum Magistros. adserit: *Tribui Juda insigne fuisse leonem, qui**

etiam in vexillo tribus illius efformatus erat ex lino trium colorum, his adscriptis verbis: *Surge Domine! dissipentur osiores tui & fugiant inimici tui a te!* Huc referenda etiam omnino esse duco, quæ scripta sunt 2. Paralip. IX. 18. 9. & 1. Reg. X. 18. seqq: de folio eburneo Salomonis omnium mortalium sapientissimi. Rex enim Salomon thronum regium exstrui curaverat, in quem sex gradibus erat commendandum, ab utraque autem parte duodecim leones erant collocati, duo præterea tegebant ambo solii fulcra, pro effigianda regni sui majestate, fortitudineque imperii. Et nullus dubito quin Salomon hæc omnia fecerit ad normam verborum Jacobi Gen. 49. 9. Eiusdem sententiæ mecum est *Justus Soldan* in *seiner Königl. Krone / andern Theil / des Königreichs Salomons* p. 102. dicens: *Es wird dafür gehalten / daß David des Löwen Bildniß in seinem Signet und Wapen geführt / wie auch seine Nachkommen im Reich.* Hæc autem omnia, omni procul dubio, Sancheribo, summo politico, fuere notissima, nec ipsum latuit, arcem Zionem propugnaculum esse, quod vires posceret ab inimico haud exiguas, antequam se ei committeret. Hic igitur titulus in honorem tribus Judæ alias prolatus, repetitur ab Assyrio per contemptum, quando alloquitur arcem Zion nomine *Ariel*. Neque opus est hîc aram in templo voce אריאל, *Ariel*, contemplari, cum Sancherib non tam

tem-

templum peteret, quam regni sedem. Et quod maximum est, propheta expressis verbis de monte Zion facit mentionem, eodem contextu *vers. 8.* id quod *versu primo* nominarat אריאל; id nunc adpellat הר ציון montem Zion. Scriptura itaque seipsum explicat, quod cuius patet ad oculos.

§. 10. Nec patrocinium præbet contra sentientibus locus apud *Ezechielem cap. XLIII. 15. 16.* nempe הראל & אריאל referri vulgo ad aram, siquidem verum altaris nomen est כזבת *Vers. 13.* manifeste jam expressum. Harel & Ariel autem hoc passu non ipsum audit altare, sed circuitum, seu ambulacrum sacerdotum, circa medium aræ, quo in elata ara sacerdotibus sacra facturis erat incedendum, ut eo commodius ligna struerent, & totam holocausti massam pararent. Qui circuitus, via angusta, seu septum illud, in *Exod. cap. XXVII. 4.* & c. *XXXVIII. 4.* dicitur ברכב, id quod ex inspectione accurata trium locorum, cognitu non erit difficile. Situs & mensura hujus ambulacri ab Ezechiele delineatur. Alia proinde significatio est vocis hujus apud *Esaiam*, alia apud *Ezechielem*, pro diversitate objectorum & ratione coherentiæ. *Ezechiel* Propheta hæc duo ut diversa proponit. De altari agit *vers. 13. & 14.* sed de Harel *vers. 15. seq.* Hinc ipse *Sebast. S. hmi-dius* in h. l. *Esaiæ*, aperte scribit: Non possumus probare eos, qui loco *Ezechielis* tanquam fundam en-

damento nituntur. Sic sententia, quod apud Ezechielem & Esaiam Ariel significet altare, nullum amplius habet fundamentum & est repudianda. Et ratio veterum Rabbiorum, quod habuerit formam leonis, nimis elumbis est. Interim tamen magnus hic philologus, nescit, quo se vertat, explicat itaque locum Ezechielis mystice.

§. 11. Cur autem ab Ezechiele hic circuitus vocetur אריאל & אריאל vel ut ק habet אריאל, multæ possunt dari rationes. Mea hæc est, quoad rem sunt idem, vitio describentis vero literæ sunt partim transpositæ, partim immutatae, partim abjectæ etiam. Imprimis autem consonantes ארוי frequenter confusæ reperiuntur. Quo de agunt grammatici, & iis qui vel per insomnium tantummodo fontibus navarunt sacris operam, id subolet, ut non opus sit hæc fusius pertractare. Videatur præcipue *Sixtinus Amama*, lucidum quondam Franequeræ decus, in dissertatione sua de Keri & Chetib. Dicam itaque quod sentio de his tribus vocibus. אריאל derivationem si spectas est, *mons Dei*, non quidem eo sensu, quo mons Moria ita nuncupatur, אריאל enim non semper denotat montem præaltum, sed & collem aliquo modo elevatum natura vel arte, quin per metaphoram virum quendam eximio munere ornatum & potentia polentem, ut Zach. IV. 7. quales fuere *Thatbnai* & *Schtharboznai*, infensissimi Zerubabelis & Josuæ adversarii. Conf. *Esra cap. v. 1, 2, 3.* quæ duo

duo loca diligenter sunt conferenda inter se. Sed nostri hac vice non est instituti.

§. 12. Verum enim vero, si rem animo accuratius volvo & in subsidium voco vocem אראיל, quæ statim in textu sequitur, non montem Dei reddo, sed *collem superliminarem*. איל enim inter alia denotat *superliminare*, *limen* &c. & הר *collem* quodammodo *elevatum*, quin & Judæi præstantiores suorum doctorum nominant הרים, quod ex eorum inscriptionibus constat, teste etiam *Lichifooto*. Ergo h. l. meo jure *טו אראיל* verto per collem superliminarem, quia כרכב *Exod. 26.*, *septum*, nempe illud circa medium altaris, erat elevatum præ ceteris gradibus. Nec est quod nos moretur litera א loco ה posita, scil. אראיל pro הרראיל. Cum ambæ sint spiritus, qui facili inter se permutantur negotio. Id quod fontium Studiosis est notissimum. In margine autem *טו ק* habet אריאל, quod neminem turbet. Masoretæ enim (quorum thesaurum Judæi non frustra legis sepem vocant,) viderunt hanc vocem nullibi extare scriptam אראיל sed אריאל, ceu patet ex nostro *Esaia* capite. Hinc monuere esse legendum, ita ut *טו י*, *Joth*, transponeretur ad syllabam mediam. Quando autem dico, הרראיל, esse septum illud elevatum circa aræ medium, innuere volo, circuitum eminuisse paulo, eo quod ipsum altare gradibus suis prominere non minus atrium sacerdotum, ubi ara erat

exstructa, gradibus distinguebatur a ceteris. Ex uno enim atrio commeandum erat in aliud במעלות, *per gradus*, quod curati effigiatores templi, historici solertes, affabre delinearunt. Conf. insuper Bibliothecam Bremensem, Fasc. 6. p. 853. Hinc colligo, הַרְאֵל Ezechielis, & אַרְיֵאל Esaiæ, non denotare altare, nec juvare locum ex Ezechiele productum, cum ipse contextus doceat utroque loco, prædicata esse diversa, talia autem sunt subjecta, qualia permittunt prædicata.

§. 13. Versu autem 2do cap. 29. Esaiæ, alia oboritur significatio. Sancherib pergite: וְהִצִּיקוֹתִי לְאַרְיֵאל וְהִיְתָה לִּי תַאֲנִיָּה וְאֲנִיָּה וְהִיְתָה לִּי כְאַרְיֵאל h. e. *Et in angustias redigam Ariel, arcem Zion, & erit mihi תַאֲנִיָּה וְאֲנִיָּה* *αἰνία & ἀγῶνια, tristitia & dolor, mera anxietas, eritque mihi sicut Ariel.* Quæ vox pro nervis sermonis plane novæ denotationis characterem induit. Et mea quidem sententia, quoad nunc video: אַרְיֵאל, est nomen urbis & regionis, in quam respiciat Sancherib, & quam expugnaverit. Cui Arielis expugnationi & debellationi similis sit futura expugnatio Zionis. Bellica enim vis Sancheribi, qui & *Sargon* appellatur *Esa. XX. 1.* omnes sibi subjugaverat terras circumiacentes, ipsamque Samariam, regnumque Israeliticum pater ejus Salmanasser paulo ante sub suam redegerat ditionem, x. tribubus misere abductis in captivitatem, justo Dei Judicio, de quo testantur

tur libri regum & Chronicorum. Est igitur *Ariel* mihi h. l. nomen loci, trans Jordanem in Moabitide juxta mare mortuum ad occidentem. Quæ regio Moabitica historicis antiquis & geographis, dicta *Αρειλιτις*, *Arielitis*. Et si quid in his perspicio, illa est regio quæ circa Callirrhoën sita supra mare mortuum. Moabitidem speciatim dictam ab Arielitide in Moab, distinguunt veteres. Moabitis, speciatim ita dicta, ille tractus superior, circa Areopolin, Ar Moab; Arielitis illa Moabitidis regio, quæ ad mare mortuum est circa Callirrhoën. Versio 70. viralis, ut vulgo audit, ultimam hanc vocem silentio præteriit, ut fit! Hunc enim versum ita reddit: *Εκθλιψω γαρ Αρειλ, και εσται αυτης η ισχυς και ο πλυτος εμοι.* Versu antecedenti autem mentio fit Moabitidis, cum tamen ne hilum quidem extet in fontibus Hebræis, ita enim reddunt versum primum: *Ουαι Αρειλ πολις, ην επαλεμισεν Δαυιδ. συναγαγετε γεννηματα ενιαυτον επι ενιαυτον, Φαγεθε, Φαγεθε γαρ συν Μωαβ.* Quæ verba optime in meam quadrant sententiam, præcipue ultima, quæ ita interpretor Germanice: *Demn ihr werdet auffgefressen / auffgefressen werdet ihr samt Moab. i. e. Hactenus ut fortes leones fuistis reputati, regno Israëlitico deleta, vobis autem salvis evadentibus, quasi qui nulla vi essent debellandi, qui discussissent de se jugum meum: habetis quidem nomen cum Arielitide in Moab, sed & habe-*

bitis omen : h. e. subjugandi estis simul cum illis. Væ ergo tibi, ô Ariel, civitas, quam debellavit David. &c.

§. 14. Quo geographico usu vox אריאל in sacris literis non infrequens, velut 2. Sam. XXIII. 20. & 1. Chron. XI. 22. occidit Benaja, apud puteum: ante urbem, Moabitam, virum Arielitam, Callirhoensem, virum fortem. Gallica versio ita exprimit: *Benaja, frapa deux de plus puissans hommes de Moab.* Brentius ad h. l. inquit, ipse, scil. Benaja, percussit duos leones, h. e. heroes Moab. Qui אריאל Arielita, eodem contextu brevius etiam vocatur אריה, non leo, sed Arielita, ita ut quatuor hæ voces, nempe ארי אראל אריאל, & אריה, his duobus locis sint unum idemque. Conf. Buxtorf. in Lexic. ubi majoris lucis causa, derivatio docetur. Igitur brevitati studens, plura non addam, lectoris ingenii acumini cetera dijudicanda relinquo. Omnes enim hi decantati heroes, non cum bestiis, brutis animantibus, decertarunt, sed hominibus bellicosus ac strenuis, hostibus infensissimis atque æterno contra Judæos inflammatis odio, id quod e contextu patet. Virtus namque proprie non exercetur in bruta; & belluæ istæ ab homine bene armato, facile vincuntur, partim vi, partim dolo, arte magistra, ut jam nihil dicam de inimicis Davidis tum temporis in vicinia degentibus, Moabitis, Arielitis, Arabibus, Ægyptiis aliisque bar-

barbaris mixtis, quorum prætereuntium frepitu audito, feræ se sylvarum latebris occultunt, & ut cum Tacito loquar in *Julii Agricola vita*: fortissimum quodque animal robore, pavida & inertia ipso agminis sono pelluntur. Addatur Florus cum aliis scriptoribus idem fatentibus.

§. 15. Eodem sensu etiam vox אריאל occurrit Esa. XV. vers. 9. & designat urbem seu regionem Moabiticam in Arielitide, nec opus est cum *Brentio* aliisque fingi h. l. corruptionem fontium, quasi pro אריה legendum ארצ. Ex hoc capite haud obscure mihi sese offert argumentum: Sancheribum jam tum depopulatum esse Moabitidem per arma hostilia. Conf. insuper *Casp. Abelis historiam monarchiarum orbis antiqui*, p. 384. Idem illud etiam colligo e superbis Sancheribi verbis per nuncios prolatis Esa. XXXVI. & XXXVII. 2. Reg. XIX. quibus longo ordine enarrat heroica sua facinora: gentes scilicet immanitate barbaras, longinquitate distitas, fortitudine famosas esse subjugatas, ita ut nec deorum quidem numina potuissent coram se stare &c. quod repetit ipse Hiskias. Esa. 37. versu 18.

§. 16. Sensus itaque verborum hic est: Tu ô arx Zion, leonis instar ferocissimi, invictissimique, spernis adhuc hostes advolantes, sed eris mihi ut Arielitis regio, quam delavi, prostravi & eversum solo æquavi, præter

ter omne nominis omen ; similiter & tu nomen habebis cum omine. Tam false, tam arroganter alludit Sancherib ad vocabulum אריאל, quo subsannat simul, totum Hiskiaë splendorem, insignia leonina regum Judæorum, & præterea summatim loquendo, omnem Hiskiaë bellicum apparatus, brevi cum Arielitide periturum. Hoc modo applicatio erit facillima, minimeque contorta, cum tertium comparationis adest, quod alias desit, si sequamur vulgarem vocis אריאל interpretationem nimis longe petitam, & quæ contra vocabuli naturam misere dilaniatur, citra necessitatem & usum, si modo in subsidium trahimus historiæ & geographiæ lucem, quæ cum sacris literis exactissime quadrat, ut ostendimus in locis illis §. 14. 15. citatis.

§. 17. Verbis cothurnalibus adhuc *vers. 3.* Assyrius persequitur Judæos, additque expugnationis secururæ tristem faciem arcem scilicet Hiskiaë sedem, iri destructum, ut solo æquata mox sit deploratura amissum regnum ita enim fatur *vers. 4. Tunc humiliaberis &c.* non opus est de meo ut aliquid addam. B. enim Lutherus sensum exactissime tetigit. Gallica translatio in Bibliis Sacy, ita sonat: *Vous serez humiliés, vous parlerez comme de dessous la terre, & vos paroles en sortiront à peine pour se faire entendre : votre voix sortant de la terre, sera semblable à celle d'une Pythonisse, & vous ne pousserez qu'un son foible & obscur, comme s'il étoit sorti de la*  
la

la terre. Est autem h. l. antithesis, quasi diceret Sancherib. Tu ô arx Zion, hucusque fuisti magniloqua, sed mox ex humili humo vox tua audietur querula, sermo tuus erit inconditus. Antea vox tua erat arrogans, regno salvo, nunc autem horrida ac tremula,  $\text{דִּינָה}$  ὡς πυθῶνος, qualis est vox Pythonum, quando oracula edunt. LXX. interpretes vocem  $\text{דִּינָה}$  silentio involvère, nescio quo fato, quave injuria, reddunt enim hunc versum ita: *Και ταπεινωθῶσονται εἰς τὴν γῆν οἱ λόγοι σου, καὶ εἰς τὴν γῆν οἱ λόγοι σου δυσώλται. Καὶ εἰσὼνται ὡς οἱ φωνῶντες ἐκ τῆς γῆς ἡ φωνὴ σου, καὶ περὶ τὸ ἐδαφὸν ἡ φωνὴ σου ἀθροησεί.* Alibi autem, e. g. *Lev. XX. 6. 27. Deutr. XVIII. 11.* reddidere, & passim aliis in locis. Verum, opus regium, Antverpiæ excusum, constanter legit:  $\text{εγγαστριμυθῶ}$ , quod & Biblia Anglicana de complutensi lectione annotarunt *Crit. Angl. Sacr. tom. I. f. 846.* citante *M. Andr. Beyero in additamentis ad Seldenum p. 208.* *Symmachus* etiam expressit: *Καὶ εἰσαὼς εγγαστριμυθῶ ἀπὸ τῆς γῆς ἡ φωνὴ σου.*

§. 18. Variorum discrepantes sententias adducere, est excitare nauseam lectori, & nostri non est instituti. Has qui quærit, ad-eat commentatores. Omnes autem interpretes in eò conveniunt,  $\text{דִּינָה}$  fuisse oraculum in cultu *Apollinis*. Tempus quo cœperit hic cultus, incertum pronuncio, quanquam Natalis comes in *Mythol. sua l. 4. pag. 356.* id asserere allaboret, nimis autem fabulose.

Exe-

Execrandus ille omnis idololatriæ *perens*, est *diabolus*, infensissimus humani generis hostis: *mater* vero *superstitio* anilis & ridicula, quæ originem trahit ex ignorantia cœca. Imprimis Paulus *ad Rom. I. idololatriæ ortum* in defectione mentis a Deo vanæ ponit: *progressum*, in stultitia per insanam *Φιλανταν* aucta in idolomaniam tandem abeunte. Quo ignorantior igitur mundus, eo proclivior ad superstitionum nugas. Testis est totus pontificiorum grex, sæculis superioribus præcipue ante Reformationem, ignorantia obstetricæ assidua, barbarie triumphante, lascivientibus clericis, hominibus cordatioribus plerumque igne & ferro mancipatis. Sed ad *אב* revertendum.

§. 19. Unde hoc nomen derivetur, vide sis apud *Peucerum* de divinationum generibus p. 258. In sacra Scriptura, inquit, *obsessus* vocatur *אוב*, quam vocem ab utre factam dicunt, quod *obsessi*, cum vaticinari incipiunt, velut utres inflati distendantur ac turgescunt. Et Buxtorffius in Lexico dicit: ideo vocari ita: quod ex tumido ventre, quasi utre, oracula depromerent. Nihil autem magis ridiculum, quam credere Pythones per partes non nominandas, sive per pudenda, dedisse responsa, cum fuerint plerumque personæ sequioris sexus; Plura non addam. Quæ fabula sine dubio orta ex græco vocabulo *εγγραμμῶς*, cui anili fabellæ *fabulosa* & credula ætas integras deinceps *fabulas*

bulas affinxit, quasi hæc sint organa ad faci-  
 enda verba. Ideo autem dicuntur, ventrilo-  
 qui, non quia in ventre, in visceribus, mul-  
 to minus ex membris genitalibus, sermonem  
 formarunt, sed quia dum eloquebantur, ob-  
 scuro sono & quodam quasi murmure verba  
 eructabant dicam, an fundebant fortassis?  
 ut eo attentiores redderent consultantes,  
 γασριζω enim & εγγασειζω apud græcos est,  
 ingurgitare. Hinc Phrynichius in Epitome Di-  
 ctionum atticarum p. 16. scribit: γασειζειν επι τη  
 εμπιπλαοθαι λεγσιν Αθηναιοι i. e. γασειζειν, pro  
 eo quod est ingurgitare, usurpant Athenienses.  
 Et B. Gerhardus in Deutr. c. 18. citante Beye-  
 ro in additamentis ad Seldenum, dicit; eos ap-  
 pellatos fuisse εγγασειμυθς, propter obtusam,  
 & quasi ex laguncula aut cavea, editam vocem.  
 Εγγασειμυθς itaque mihi is est, qui verba,  
 vel orationem suam murmurando profert,  
 vel ut germani dicunt. Ein solcher der die  
 Rede in den Bahr nösselt. Et hoc commode  
 poterat fieri, abdiderant enim sese plerum-  
 que Pythones & Pythonissæ in cavernis, &  
 latebris subterraneis, vel post aulæa latebant,  
 & sacra ut plurimum peragebantur noctu,  
 (quod videmus in Endorea sacra noctu per-  
 agentis) aut decrescente die, sacrificiis ante  
 rite maētatis, pro studio & labore præstigia-  
 torum compensando. De tali murmuratio-  
 ne loquitur Esaias, expressis verbis l. c.

§. 20. Quæritur autem an per אבות intelligantur spiritus? quod negatur, manet interim verum, diabolum esse harum fraudum autorem, cum in finem ut avertat homines a vero cultu ad idola. Erant homines, præcipue foeminae, quod patet 1. Sam. 28. exemplo *veneficæ Endorensis*, *Pythia* apud Cornelium Nepotem, & *Pythonissæ ancillæ* Act. XVI. 16. & quidem docti homines, vafri, non rudes & indociles, sed callidissimi, ad imponendum apti atque instructi. *Sane non pauciora* (verba sunt *Zen. gravii*, in dissert. de *Maleficio magico ex legibus hebræorum forensibus*) *veneficii & maleficii a feminis quam a viris peracti exempla leguntur*. Vocantur etiam *magi*, teste *Seldeno*, futurorum conjectura tantummodo conscii, soli enim Deo competit futurorum præscientia, quamvis *Ægyptii* cum aliis gentibus futurorum præscientiam idolis tribuerint, hinc eorum jactata de futuris oraculorum effata, sed vanitatem hujus rei omnes monstrant prophetæ. Eamque ob causam factum quoque est, ut semper fere æquivoce sint locuti, interdum autem non. Hi impostores nugaces, diabolicis artibus docti, irrepebant, quando bella, aut aliæ calamitates imminebant, hac spe freti, ut ex corrasis undiquaque oraculis de eventu blaterarent tanto felicius, quanto superstitione excreverat, quo popellum simplicem emungerent argento, & a veri Dei cultu abstraherent. Hos nugatores interdum

convenisse in templa sua & inter se egisse ac pertractasse de nugis, testatur *Cicero de div.* Et hæc magia non semper erat comparata ad nocendum aliis, sed ad captandam inanem hominum credulorum opinionem, prout nimirum impia quadam vanitate ducuntur, aut ex aliquare præ ceteris videri affectant. conf. *Zentgravium l.c.*

§. 21. Etiam ex rerum circumstantiis eventum certa quadam ratione prædicere poterant, quod videmus in Endorea, quæ Sauli fata sine omni dubio exactissimè novat, ejusque angustias, probe habebat cognitas, cum castra haud procul ab Endor essent posita, & Sauli regimen jam tum ad interitum vergeret. Res vero cum Davide bene sese habebat. Posito autem, sed non concessio, eam antea non vidisse Regem Saulum, potuit tamen facili negotio dignosci ob staturam oblongam. Hæc nugatrix nihilominus se simulat, ignorare se regem, donec putatitius Samuel prodiret, qui paulo ante vitam cum morte commutarat, & cujus habitus exteriorque forma adhuc cuivis hærebat in recenti memoria. Igitur anxio persuadebat Saulo, se animadvertere Deos ascendentes de terra. i. e. virum præstantem, in hebræo textu est vox אלהים, i. e. homo magnus & honorabilis, nimirum Samuel propheta & populi judex, ita exponit *Glassius*, pythonissa plurali numero est usæ pro singulari, intelligens virum principem. Nemo

autem illum vidit, præter mulierem hanc præstigiaticem: nec vidit illum proprie, quia nullus verus Samuel aderat. Samuele quoad animam in portu beatissimæ quietis navigante, corpore terræ mandato, nemine turbante ossa sancti. Nec opus est cum R. Kimchio & Corn. a Lapide in scenam producere Samuelem cum Mose stipatum, quasi ille alias sine hoc non potuisset coram iudicio stare. Missas facimus has fabulas. Pythonissa hæc nec Samuelem nec Mosén e cineribus in lucem revocavit, sed dixit tantummodo *se animadvertere*, multa autem dicuntur quæ non sunt. Dicam itaque quod sentio: Mulier hæc dolosa e consortibus suis quasdam sine dubio substituit, quæ personam ageret Samuelis, id quod commode potuit fieri, cum tempus nocturnum, loci commoditas, aulae serie inter se distincta, consulentium sensa ambigua misere turbaverint. Credulus itaque rex ob conscientiae cauteriatæ morsum, fidebat ei, præsertim cum audiret vocem putatitii Samuelis ad se loquentis; quæ tamen nihil aliud in se continebat, quam ea quæ jam dudum vivus Samuel futura cantaverat: quin aperte falsa immiscebat dicens: Saulem crastina luce cum filiis periturum, quod tamen factum elapsis aliquibus diebus post, ut omnes circumstantiæ monstrant, nec anima pii potest ab impio turbari, quod nihilominus Samuel h. l. queritur. conf. *Anton van Dalen de divin. idolol. V. T.* qui fusius hanc

mate-

materiam pertractat. it. l' histoire des oracles de Mr. Fontenelle.

§. 22. Consulentiū ergo erat, ut res suas præsentes, præteritas & futuras cum rerum statu bene examinarent, animumque suum explorarent, ne, si eventus voto non responderet suo, culpam in oraculum transferrent. In hanc opinionem sum delapsus e lectione Seneca qui *libr. consol. ad Marciam*, dicit: Pythicis oraculis adscriptam fuisse vocem: *Nosce te, & Peucer de div. generibus p. 49.* multa alia exempla huc facientia adducit, e. g. Croeso olim redditum:

ΣΕΑΥΤΟΥ ΓΙΝΩΣΚΩΝ ΕΥΔΑΙΜΩΝ ΚΡΟΙΣΕ ΠΕΡΧΕΣΙΣ.

Croese, beatus eris, si te cognoveris  
ipsum.

Hæ enim Pythonissæ, præstigiatrices vafrae, ad fallendum institutæ, historiam sui ævi callebant ad unguem, circumstantiæ omnes, fatorum bellorumque causæ & series, sagacitatem earum non latebant. Et si forsitan quædam circumstantiæ non essent satis notæ, fingeant, qua erant calliditate, novas, ut ad suum modo pertingerent scopum sibi scilicet ut compararent pecuniam, deluderentque popellum simplicem, non aliter edoctum, & cœco impetu latum in harum nugas. Ipse Saulus rex, probe norat, hunc cultum esse nullum, quia paulo ante e terris suis eliminaverat ac eiecerat veneficas, nihilominus illuc com meat: hærebat in am-

biguo, & Deus, pro justo suo iudicio, ipsi non respondebat, neque per prophetas, neque per revelationes. Hinc desperabundus quasi veneficis se mancipat, secundum tritum illud Virgilii:

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Forfan ut nova quædam inde perciperet, sibi evitanda postea: noverat se ipsum optime, suasque miseras probe habebat perspectas, sed & mulier Endorensis similiter.

§.23. Sæpe etiam sapientes & mediocriter excitati tantummodo viri, modo acriori iudicio fuerint præditi, & usibus edocti quadantenus, ex ipsa rerum facie, plurima divinant, præmonentque, quam ex argumentis aliis  
*ἔκ μαντεία ἀλλὰ περὶ γυμνασίου λεγόντες, non ex divinatione, sed ex rebus loquentes.* Quid igitur mirum si & hoc genus hominum interdum quædam vera prædixerit, cum ex hominum ad se venientium vultu, nutibus, perplexitate & gestibus, hæc illave conjectaverint, quin etiam ex precibus, oratiunculis quas fundebant consultantes, sacrificiis ante rite peractis, quam oraculum ederetur, multa sint hariolati. Hæc & similia, colligo ex duabus istis vocibus: *Nosce te.* Imo nullum est dubium, quin consulentium fuerit omnia sua facta ordine enarrare iusto, quod diserte docet *Peucer.* p. 231. sive palam, aperto ore, sive in angulo quodam stantes, ita tamen ut latitan-  
 tes

tes hinc, illic, pythoniæ potuerint exaudire. Earum enim receptacula ad imponendum erant aptissima, subterraneis, aut obscuris exstructa locis, crassissimis referta tenebris, lucernis hinc inde appositis, ut eo spectabiliores redderent nugas.

§. 24. Hæc ut paulo clarius illustrem, adducenda quædam sunt e Tullio testimonia huc facientia, ille enim l. i. de oratore ita fatetur: *Quid est præclarior, quam honoribus & reip. muneribus perfunctum senem, posse suo jure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo: se esse eum, unde sibi, non populi & reges, at omnes sui cives, consilium expetant:*

*Suarum rerum incerti? quos ego mea ope  
Ex incertis certos, compotesque consilii,  
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.*

*Est enim sine dubio domus juris consulti totius oraculum civitatis, & ad voces: Nosce te, quod attinet, ita loquitur l. 5. de fin. bon. & malorum: intrandum est igitur in rerum naturam, & penitus, quid ea postulet, pervidendum: aliter enim nosmet ipsos nosse non possumus: quod præceptum, quia majus erat, quam ut ab homine videretur, idcirco assignatum est Deo, jubet igitur nos Apollo Pythius, noscere nosmet ipsos. Assentit interea iis, qui duo genera divinationum dixerunt, unum quod particeps esset artis, alterum quod arte careret, quando l. i. de*

div. ita scribit. *Ars est in iis, qui novas res conjectura persequuntur, veteres observatione didicerunt, carent autem arte ii, qui non ratione & conjectura, observatis ac notis signis, sed concitatione quadam animi, aut soluto liberoque motu, futura presentiant, quod & somniantibus saepe contingit, & nonnunquam vaticinantibus per furorem.* Tantum de personis pyhonissis, & debita qualitate eorum qui oraculum hoc consulerent.

§. 25. Nunc ad modum progrediendum, quem adhibuere Pythones cum oracula ederent. Res hic abit in conjecturas, haud sane fundamento destitutas. ΠΥΘΩΝ, Πυθων. Pytho, in cultu Apollinis, subsidebat in tripode, sive suggestu ligneo, rotundo, cavo, operculo superius quodammodo adstricto. Hunc ascendebat Πυθων, ad oraculum inde promulgandum. Ante effati enunciationem, in fundo tripodis haerebat, vel delitescibat, velut oraculum expectans: tandem in basi ima sedens, horridum cepit eructare sonum plane inconditum, non nisi tremoris ac horroris indicem, quo videretur corripi. Quo obscuro & tremulo sonitu edito, Pytho se elevabat, & assurgebat in suggesto, eum in finem, ut foris a circumstantibus conspici capite manibusq; posset. Dein responsa ordine recitavit, quae circumstantes exciperent tum calamo tum auribus.

„§. 26. Cl. Joach. Langius in *Medicina mentis*  
 „p. 122. ita de tripode differit: Tripus illa,  
 „in-

inquit, πολυδρυδητ ⚔, arcæ fœderis simia,  
 ,,erat perforata, auro obducta aureaque corona  
 ,,seu limbo cincta, unde Apollo dicebatur λαλειν  
 ,,εκ των σεμματαων, seu e coronis loqui. Erat  
 ,,autem Tripus, sella, primum πτραγων ⚔, sed  
 ,,post, secundum numerum mysticum, facta  
 ,,tripes, ori specus, immundum exhalantis  
 ,,spiritum, imposita, επιθεματε tecto, cui insi-  
 ,,debat Pythia; seu phœbas, i.e. sacerdos fe-  
 ,,mina, vaticinatioque spiritu nefandum in mo-  
 ,,dum recepta, cum summa corporis trepi-  
 ,,datione, furoreque correpta, oracula ede-  
 ,,bat; ita quidem ut spumantibus clausisq;  
 ,,labiis verba e terræ cavitatibus egredi, & ex  
 ,,imo pectore protrudi viderentur. Hæc ille.  
*Martinus* in Lex. philol. sub voce *tripus* inter alia  
 hæc habet. *Tripus, ingens erat vas aureum, quod  
 lamina quadam aurea, ceu mensa insternebatur,  
 in qua Pythia sedebat oracula fundens, operculum  
 ejus ⚔ integumentum erat aneum.*

§. 27. Tali modo §. 25. descripto, horror  
 consultantibus est incussus, tum ob soni pe-  
 regrinitatem, tum ob ancipitem rerum even-  
 tum. Hinc figuram sumit Sancherib a cultu  
 Apollinis sibi satis noto, & Judæis e con-  
 trario tanto terribior, quanto magis hi ab-  
 ominarentur Apollinea sacra. Sensus propter-  
 ea Sancheribi in hoc nostro Esaiæ loco *versu*  
 4. hic est: Quemadmodum vox Pythonum  
 querula ac gemebunda e ruderibus terræ, e  
 basi ista tripodis, auditur; ita & vester ser-

mo, tam exilis, tam moestus, tam querulus, tamque horrendus erit, ut nil lætitiæ inde appareat, nil nisi lamentum, nil nisi triste, nil nisi singultus, proferat, instar pullorum pipientium, quod inuitur per  $\chi\alpha\chi$ ,  $\mu\mu\zeta\epsilon\iota\nu$ , græce, literis scilicet transpositis. Sicut enim homo dejectus & oppressus humillime loquitur, & quasi mussitat, non audent aperire os suum coram victore; ita Sargon de urbe hac dicit, eam humillime locuturam & mussitatnam, quia dejicienda in terram atque vastanda. Urbes in scilicet literis, quando prædicuntur devastandæ, dicuntur humiliari *Es. c. XXVI. §. imprimis* quando nomen terræ aut pulveris additur, dicuntur dejiciendæ ad terram usque *cap. XXV. 12.* Hinc salvator, *Matth. XI. 23.* in urbem Capernaum detonat, inquit: *Και συ καπερναιμ, η εως της ερηνης υψωσειου, εως αυτης καταβιβασθησθι.* Etiam tu Capernaum, quæ es usque ad cælum exaltata, ad inferos usque detraheris. Quemadmodum igitur urbium excellentium fama splendorque ad cælos quasi pertigisse perhibetur, dum scilicet immensæ earum opes, e commerciis undiquaque attractæ, splendidæ ac elatæ ædificiorum structuræ, eas formidabiles reddidere; ita e contrario illarum humiliatio terribilior est, ut in miseria ista vix ducere spiritum possint.

§. 28. Hactenus Sargon minax exterruit Judæos & dominantia crepuit verba, sed in cassum

caffum ! parturiere quidem montes in cerebro Sancheribi, sed natus est ridiculus mus è cerebello cothurnali, & ante victoriam cecinit triumphum. Deus enim per prophetam falsissime in Sancheribum invehit *vers. 5.* jungitque solatium ac apertas promissiones indubitatae proximæque liberationis. Quod scilicet innumerabilis Assyriorum exercitus, mox sit in fugam agendus, uti tenuis pulvis in aërem abeat & evanescat, velut gluma & folia campi, turbine dispergi soleant, ita namque dicit : **וְהָיָה כְּאֶבֶק דֶּק הַמּוֹן זָרִיץ** : **וְכִמּוֹצַ עֵבֶר הַמּוֹן עֲרִיצִים וְהָיָה לִפְתָּע פְּתָאֵם** : i. e. *sed strepitus, vel tumultus comprimantium te, erit sicut pulvis comminutus, & multitudo violenter exagitantium, erit scilicet, sicut gluma transiens.* (quæ quovis lævissimo aëris motu aut vento impellitur, estque copiosa inter tritandum) *& hoc fiet brevi subito.* LXX. interpretes in hunc reddidere modum : **Και εσαι ως κονιορίδι από τροχῶν ο πλεπῶτων ἀσεβῶν, και ως χυρῶς φερομεν το πληθῶ των καταδυνασειοντων σε, και εσαι ως σιγμα παροχημα,** quæ verba sic reddo : *sed erunt opes, vel copiae impiorum, h. e. Deum verum non colentium, quales Assyrii, tanquam pulvis de rota, s. curriculo, & multitudo oppugnantium contra te, sicut lanugo agitata, & hoc fiet quasi in puncto illico,* το, Vau, in initio versus, est particula adverbativa, ut in centenis aliis locis : item, particula και græcorum, non semper est particula copulativa, quod vel ex Lexicis patet.

Et quemadmodum Assyrius in antecedentibus particulam similitudinis *ו*, *Caph*, adhibuerat, additis similibus; ita & propheta in responsione falsissima.

§. 29. Ad Romanos hæc omnia non quadrare aliquo modo jam supra indicavi §. 5. Propheta namque de tali hostili interitu agit, qui brevi sit eventurus. 2. Romani nunquam pœnas luerunt ob urbis sanctæ devastationem. 3. Expugnatio urbis per *Quirites* evenit demum elapsis fere novem sæculis & de Romanis in contextu ne hilum quidem deprehenditur. Nec 4. *Esaias* respicit ad tempora *Nebucadnezaris* & tristia fata regis *Jechonix* è ruina urbis & captivitate *Babylonica*, quippe quæ evenit toto sæculo post & quod excurrit, h. l. autem de tali everfione hostis fermo est, quæ mox & subito sit futura, & 5. verba à versu quinto ad octavum, inclusive, nequeunt applicari ad milites *Nebucadnezaris*, non enim sunt dissipati in obsidione *Hierosolymorum*, sed discessere victores, nec sunt puniti à Deo eo quod *Hierosolymam* tam misere tractaverint, quia Deus ipsos ad hoc vocaverat, justo iudicio. Hoc loco autem fermo de tali inimico est, qui Deo sit vindicandus.

§. 30. Ergo contra *Sancheribum* hæc *Esaias* nomine Dei promulgavit in solatium *Hiskix* spemque salutis *Judæorum*: nempe ingenti tempestate *Assyriorum* copias iri summotum

*vers. 6.* Nam quemadmodum tempestas præter omnem irruit spem; ita exercitus Assyriacus una nocte citra omnem opinionem est deletus per angelum Dei, i. e. *lue pestifera*, quæ ignis instar est consumentis. *Vers. 7. 8.* subsannat propheta verborum fastum Sargonis. Hoc truces hostes velut insomnium futuros, abituros Assyrios inanes, haud aliter ac in insomnio quis sibi visus edere, bibere, sed expergefactus sentit, se omnibus his carere velut desideratis Sancheribi nil nisi somnium merum fore minas. In oculis superciliosi hostis Judæi pro nihilo reputabantur, & regia Hiskiaë sedes, muri Hierosolymorum præalti, in cerebello Sancheribi jam erant disjecti & diruti, ac solo æquati: sed merum fuit somnium. Tam vivide a propheta depingitur animi elati arrogantia Assyrii. *Eventus exactissime respondit 2. Reg. XIX. Esa. XXXVII.* ita ut ne quidem cum exercitu pervenerit Hierosolymam, quod contra Josephum assero, sed ingens miles ejus prostratus est ad Libnam, quod patet 2. Reg. 19. vs. 8. & 32.

Habes B. L. brevem & simplicem delineationem philologicam vocum ארמל & אוב. Prophetæ lectorem poscunt attentissimum, non solum linguæ hebraicæ compotem, sed imprimis historiæ & geographiæ veteris memorem, artisque dicendi veteribus usitatæ non imperitum. Vates hi divinitus acti, non uno

uno filo pertexuere sua volumina, sed distinctis temporibus, pro ratione factorum. Recentior codicum sacrorum distinctio per capita parum aut nihil juvat, imo impedit & obstat interdum non parum. Quem morem inconsulto remotæ antiquitatis amore victus damnat *Salmasius*, & plures alii. Totum sacrum codicem primus omnium *Stephanus Langtonus*, Anglus, Sec. XIII. in capita divisit, teste *Pisæo apud Bluntium*. Et *Santes Pagninus* primus divisit Biblia hebræa in versiculos, testibus *Sixto Senensi* & *Scaligero*. Novi Test. in versiculos partitionem debemus *Rob. Stephano*, quod asserit ejus filius *Henricus in præfat. ad Concordantias N. T.* Perdifficilis interpretis opera, justam pro librorum ætate definire seriem, & qui jam in *Esaia* corpore citra suum sunt sparsi ordinem, in ordinem redigere. Neque ulla interpretatio felix, nisi prius de libelli cujusvis genuina constet ætate. Tantum de his!

VII.

MEMORIA

JOH. RODOLPHI RODOLPHI,

Theologi Bernatis. (a)

**N**atus est Vir hic egregius in oppido Zoffinga, A. C. 1646. quarto octobris die. Parentem habuit *Mauritium RODOLPHUM*, virum honestissimum, pientissimumque, senatus ibidem majoris & judiciorum Assessorum : matrem *Veronicam SCHAERER*. Tyrocynia literarum jecit sub ductu Johannis Paulli, Viri Doctissimi, qui ex Palatinatu gliscente belli Suecico-Germanici flamma, patria extorris, Zoffingæ ludum moderabatur literarium. Inde in Academiam Bernatam trans-

(a) Excerptimus eam ex oratione funebri à *Georgio ALTMANNO* Bernæ 1718. post depositas 22. Sept. corporis exuvias recitata, ibidemque impressa. Citius hoc officium Viro de Ecclesia nostra insigniter merito præstitissemus, si prius scriptorum ejus syllabum obtinuisssemus. Mirari subit, quod tantum non perpetuus hic orationum in obitum virorum, qui scriptis laudem meruere, sit defectus, ut opera eorum, in quibus post obitum vivunt, aut tumultuarie tantum

transiens ita & humanis & divinis scientiis imbutus est, ut A. 1671. examina pro obtinendo S: Ministerii munere cum admiratione subierit & facultatem sermones publice habendi sit consecutus. Dein Laribus relicto ad externos cursum suum direxit ac Galliam, Angliam, superiorisque Germaniæ partem, Belgio ob Martem tum temporis immanius ibi sævientem relicto, perlustravit. In hac peregrinatione eruditus multis innotuit, quorum postea literario quoque commercio usus est. Inter eos memorantur Tanaquillus Faber, Hobbesius, Ligtfootus & præsertim celebris mathematicus Lamius, qui cum linguæ Hebrææ addiscendæ esset cupidus, à Rodolpho in Hebræis, & Rodolphus contra à Lamio in Mathematicis est institutus. Potissimum autem substitit Salmurii & sub Viris, qui tunc in Aca.

adducantur, aut sæpe numero sicco pede plane prætereantur. Certum tamen est, plus honori eorum & curiositati posteritatis consultum iri accurata librorum ab illis elaboratorum, adjuncto studiose editionis loco ac tempore recensione, quam inani sæpe & sterilique itinerum, aut aliarum circumstantiarum, quarum bonarum literarum parum interest, commemoratione. Quod si rhetorum leges in dictione id aliquatenus respicere videantur, quam exiguum esset operæ & sumtum dispendium, si exscriptas saltem typis orationes, scriptorum & editorum & ἀνεκδότων, quæ expectari etiamnum queunt, syllabus claude-ret? F. A. L.

Academia florebant, celeberrimis Theologiae operam dedit. Bernam A. 1674. redux anno statim subsequente ab Amplissimo Magistratu ad pastorem in *Seen* evocatus est, Uxorem tum ducendam ratus, cujus suavi confortio solitudinem loci falleret, Virginem egregiam *Susannam* SEITERIAM Senatoris ac Mercatoris Aroviensis filiam conubio secum junxit. Ex ea filiorum trium filiae unicae, parens evasit. Superstes tantum cum filia ex triginta filiorum est unicus Vir Clarissimus, paternae eruditionis aemulus. Semestri in hac statione vix transacto ad altiora subsellia est evocatus. Vacua enim A. 1686. ex doctissimi Theologi NICOLAI obitu & variis inde successibus, cathedra Hebraeo-Ethica, ad quam obtinendam cum ejus temporis doctissimi Viri una cum Rodolpho nostro, pro more antiquitus apud Bernates recepto, ad eadem specimen essent ab Amplissimo Magistratu vocati, dies dicitur, certamen instituitur, palastrice concurritur, sed disputatione finita dubia palma ab Academiae Curatoribus Rudolpho conceditur. Ex cathedra Ethica A. 1688. ad Catechetica transit. Inde A. 1697. ad Theologica & quidem primo Elenctica est admotus, donec A. 1700. eam cum Didactica commutaret. Accessit ultimus & apud Bernates maximus honorum gradus, dum A. 1716. defuncto Reverendo atque Doctissimo HOPFFIO Antistitis gravif-

si-

firmam provinciam sibi delatam videbat. Tribus ante obitum mensibus non tam morbi alicujus irruentis impulsu, quam virium defectu dejectus primo languescere coepit. Lento itaque morbo, qui hydropis quaedam species erat, absumtus est, sed ita tamen, ut omni eo tempore, quo domi sedere necesse habuit, ne minimum quidem judicii sui detrimentum passus fuerit. Ingravescente enim morbo ea ingenii vis quæ semper antea ei singularis fuit, ad ultimum vitæ articulum est concessa, usque dum decimo octavo septembris die sub ipsum fere gallicinium hora secunda matutina, cum pridie cum Reverendo DACHSIO (b) ultimum colloquium Theologo dignum habuisset, placide exspiravit, cum non tribus ante mortem momentis imbecillitatem consueto majorem senserat, atque ita mortem subitanam, ut semper optaverat, habuit.

Scripta ejus sunt sequentia.

r. *Ethica* duobus libris comprehensa, quorum prior Aretologia, virtutis tum cognoscendæ principia, materiam, indolem & officia, tum comparandæ adminicula docet; Posterior Eudæmonologia, virtutis præmia edifferit, opera & studio PHILARETI.  
Am-

(b) Confer. Classis Secundæ Fascic. II. p. 352. sq.

Amstel. 1696. 8. Alph. 1. Recusa ante aliquot annos Bernæ.

2. *Analysis Catecheseos Heidelbergensis cum Commentario Theologico.* Bernæ. 1697. 8. Recusa a. 1698. Franequeræ Frisiorum. Conversus quoque hic liber est Germanice a *Job. ALTMANNO*, scholæ Bernensium Rectore, editusque adjunctis singulis quæstionibus precibus sub titulo: *Catechetischer Leuchter und Räucherwerk.* Bernæ. 1711. 8.
3. *Dialogus super quæstione; An usque adeo necesse sit ministrum ecclesiæ esse regnitum, ut, qui talem se non probat, tanquam inutilis & fraudulentus operarius, ex quo facile plus damni, quam utilitatis ad ecclesiam redeat, salutis suæ cupidus illico sit deserendus.* Bernæ 1704. 8. Et hic *Dialogus* ab eodem *Altmanno* Germanice versus prodiit Tiguri. 1710. in 8.
4. *Theologiæ Christianæ τα ἱερὰ μυστήρια, s. credenda de Deo, ejusque viis in mundo & ecclesia sub diversis temporum oeconomis, brevibus præceptis ex S. scriptura efformatis, & pro instituti modo explanatis, ad facilem docendi & discendi usum accommodata.* Accessit sermo paræneticus olim ad S. Ministerii Candidatos habitus. Bernæ, 1714. 8.
5. *Dissertationes bene multæ Philosophicæ & Theologicæ, eaque didacticæ seu ethico-*  
*Class. III. Fasc. II.                      A a                      pra-*

practicæ, quæ in unum corpus compactæ  
forte suo tempore lucem videbunt.

6. Tomus concionum sacrarum Germanicarum  
post fata Auctoris in lucem editus Bernæ.  
1719. 4.



VIII.

NOVA HISTORICO-THEO-  
LOGICO-LITERARIA.

**T**UISCOBURGI ad Rhenum elapso  
mense Julio Synodus generalis Re-  
formatae Ecclesiae provinciarum  
quatuor in ecclesiasticis unitarum,  
communique jure utentium, scili-  
cet Ducatus Cliviaci & Juliacensis, Comitatus  
vero Marcani & Montensis, quæ singulis tri-  
enniis ibidem coire solet, denuo in causam  
Viri Doctissimi *Christophori RAABII*, SS. Th.  
Doctoris & Professoris, qui jam ab aliquo  
tempore Fanaticismi contraxit suspicionem,  
inquisivit: qui quidem literis satis amplis ad  
Reverendissimam Synodum datis invidiam e-  
jus declinare annisus est, sed cum oblatam &  
enixe desideratam subscriptionem Cateche-  
seos Heidelbergensis recusaret, statutum est,  
Studiosos, sub ejus ductu Theologiae operam  
dantes ad suggestum non esse admitten-  
dos

dos (a) Ibidem Cl. Joh. Christ. LOERSIUS Patrum multorum *de Angelorum corporibus* sententiam novis argumentis conscripta & defensa publice dissertatione Theologica defendit, cujus ideam in sequentibus exhibebimus. Joh. HAMMIUS clarissimus Philologiae sacrae in hac Academia Professor, propediem *compendium Antiquitatum Hebraicarum* editurus est, in quo conabitur supplere ea, quae in Relandino similis argumenti libro desiderarunt nonnulli, videlicet, ostendet, & quae mysteria sub ritibus illis delitescant, & qua ratione horum consideratio multis scripturae locis lu-

Aa 2

cem

(a) Concepta decreti Synodalis verba Actorum §. 37. ita se habent; Daß 1. aus des Herrn Professor Raaben so wol münd- als schriftlicher Antwort seine Lehre unter dem Verdacht die Heterodoxie bleibe/ und Synodus generalis von/ dessen Orthodoxie nicht versichert seyn könne: und daher 2. zur Verhütung aller Irrungen und Unordnungen in der Lehre und Gottesdienst unsrer Reformirten Kirche/ gleichwie mehrgemeldeter Herr Professor/ also auch die unter ihm etwa stüddirende Jugend nicht ad Cathedram ecclesiasticam zu admittire/ auch gemeidete Jugend/ wo sie sich in diese 4. vereinigten Lande/ zum examine vel præparatorio vel peremptorio anbic. en/ zurück gewiesen/ und wan sie gleich in fremden Landen examiniret/ dennoch in den Gemeinen dieses Synodi generalis ineligibel seyn/ und davor von den Inspectoribus und Moderatoribus angesehen werden sollen/ bis dahin Herr Prof. Raab, unter ihm herzlich angewünschter Erleuchtung und Leitung des H. Geistes Gottes/ zu bessern Gedanken gebracht / und Synodo generali oder dessen Moderatoribus völlige Versicherung seiner Orthodoxie gegeben habe,

cem præferant. Ille pariter ante aliquot annos vulgatum de *ara interiore*, *ejusque mysterio* librum, cuius exemplaria distracta sunt, longe auctiorem mox prodire faciaet.

In castello Flandriæ Belgicæ, CATARACTAM GANDAVENSEM, (Sas van Gent) appellant, diem suum obiit Augusti elapsi die XXVII. Vir doctus *Bartholomeus* BOLKIUS, Natalibus erat Amstelodamensis. Cum inter Candidatos Ministerii receptus esset, eorum in numerum transiit, qui more recepto Ministros Ecclesiæ Amstelodamensis ordinarios opera sua pro suggestu sublevare solent, quo labore cum laude & applausu functus est, donec anno 1704. in urbem modo dictam ad Ministerium ordinarium ipse vocaretur. In carminibus tam Latinis, quam Belgicis non infelix fuit, quorum quædam typis sunt exscripta. Laudatur inter ea epicedium in Magnæ Britanniæ Regem, Belgico idiomate editum 1702. Inter alias, quas edidisse fertur, dissertationes, multorum illa palato se approbavit, cuius Tomo II. p. 1103. facta est mentio, quamvis erronee ibidem, cum nondum scripti ipsius compotes facti essemus, ex literis amici pro *Bartholomeo* posuerimus *Abrahamum*, & pro pag. 52. quas illud conficit, plagulas 56. quæ benevolum lectorem, ut corrigere & illic & in indice p. 1128. velit, rogamus.

DANTISCI, vir meritis atque ætate venerabilis Stephanus WOLTERS, S. S. Theol. Doctor, & ad ædem S. Petri & Pauli apud Genadenses, per annos XLV. V. D. Minister ad d. XV. Kal. Majas hujus anni diem suum obiit. Uberiorem vitæ ejus historiam scriptorumque recensionem proxime exhibebimus. Per solemnem electionem ei successor electus est Vir clarissimus, ejus agnatus Ludovicus *Wolters*. Exstate ejus de *pâ nibus* & *mensa propositi- onis* Dissertatio erudita ac lucernam olens. In illa polienda, augendaque versatur etiamnum, uti & in edenda Historia *Elie* prophætæ, sermone Germanico. Nobiscum quanto- cyus se communicaturum pollicitus est, non solum Observationes philologicas, scripturam S. & fidem Christianam illustrantes, ex libro Jūdæorum ZOHAR depromtas, sed & excerpta ex literis, quarum autographa possidet, a præstantissimis superioris sæculi Theologis, Claubergio, Maresio, Witsio, Trommio, Perizoniis, Andrea, Fabricio, Wilhelmio, Georgio & Reinholdo Pauli, ad Cl. Hadrianum *Pauli*, Theologum quondam Hammonensem, perscriptis :

BREMÆ cum in Athenæo Ecclesiæ D. PETRI Subrectoris munus Viro doctissimo *Friderico Alberto ENKELMANNO* demandandum esset, præfatus est pro more Scholarcha *Gerhardus MEIERUS*, acerboque tum calamo tum ore invecus est in patrociniū famæ Celeberrimi FRANCISCI JUNII, Bibliothecæ nostræ

Cl. II. Fasc. 4. p. 666. *ὡς ἐν παρόδῳ* à nobis susceptum. Convitia ejus convitiis repellere, nec Christiani est, nec Theologi. Generoso pectore hæc pessimæ causæ atque impotentis animi indicia contemnimus: neque chartas has eorum aut recensione aut refutatione commaculabimus. Ipsum tantum *ἔπινομενον* veris expressum coloribus exhibendum æquique Lectoris judicio permittendum esse e re nostra duximus. Justo dolore perciti sumus, cum Virum in Ecclesia nostra celeberrimum, nostraque laude majorem FRANCISCUM JUNIUM, Theologum Lugdunensem in sermone quodam funebri typis exscripto, non tantum inter Atheos numeratum, sed etiam tanquam exemplum atrocissimum & inter *mille quasi unum* Impietatis hujus propositum legeremus (a) Data igitur occa-

(a) Extant verba controversa in Oratione funebri vernacula, cui titulus: Das der Menschen Odem bewahrende Auffsehen Gottes/ubi post assertam ex Jobo providentiam Dei circa mundum & præcipue circa hominem, subjungitur: So geben auch alle Historien von der Welt her über das Buch göttlicher Providenz den allerbesten Commentarium. Hätte denselben Franciscus Junius NB. fleißiger gelesen/ so wäre er unmöglich durch des Epicuri nur wahrscheinliche Lehrsätze zur Atheisterei verführet / h. vielmehr den in so viel wunderlichen Begebenheiten augenscheinlich sich offenbarenden Gottes Finger erblickend NB. genothdrängt/zu bekennen: Das hat Gott gethan: Adjectæ sunt in margine citationes. h. Melch. Adami vitæ Ext. Theol. p. 194. i. II. Buch Mose VIII, 19. Ps. LXIV. 10.

casione maculam hanc ita detergere voluimus, ut tamen famæ hominis eam inurentis parcere-remus, præterito ipsius nomine, si forte in notam nostram incidens, in sinu suo pudore suffunderetur, atque in posterum parcius hæc & similia Viris, quamvis diversarum partium, nunquam tamen sine honore commemorandis, post funera objicere ut solet, disceret. Cum tamen non suo tantum se prodat indicio, verum & Pæana ante triumphum canat, paucis, quomodo causam suam agat, examinemus.

Potissimum argumentum petit a propria Cel. Junii, in vita sua, quam ipse descripsit, confessione, qua testatus est, se aliquando venenum Atheismi imbibisse, præcipue cum illud ex ore præceptoris sui, Epicuri verba *Nihil curare Deum, nec sui, nec alieni*, multis dictorum argutiis confirmantis, vires acquire-ret: quin annum amplius integrum *adole-scentem* miserrimum his perditissimis luxuriis se deliciis, nonnunquam aliquem de foetidissima illa *αιθέρη* face sermonem evomen-tem, inanis scientiæ gloriam aucupaturum &c. Historia in vulgus nota est, neque adeo in operibus Junii, ex quorum lectione me multum profecisse gratus agnosco, hospes eram, ut illa me lateret. Sed perpendi debuisset & tempus, quo Junius in delictum hoc incidit, & quamdiu in eo hæserit. Adoles-cens erat quindecim aut vix sedecim anno-

rum natus, nondum neque philosophiæ neque Theologiæ principiis imbutus, nondum gratiæ salutaris lumine illustratus, adeoque perverso naturæ instinctui lubricæque ætatis illecebris omnibus expositus, ac quibuscunque armis ad profligandam Magistri impietatem hactenus plane destitutus. Neque vitium hoc contraxit habitum, cum mirifica Dei providentia adolescentulum, anni plus minus spatium intercedente, collapsum restauraret. Ab eo tempore seria pœnitentia, constantique veræ pietatis usque ad extremum vitæ habitum cultu, culpam hanc eluit. Ita ut prorsus eam ignorarem, & tam apud *Spizelium*, quam *Adamum* frustra quæsivissemus, nisi in testimonium exemplaris suæ humilitatis & aliorum cautelam, ipse historiam ejus in vita sua dedisset. Quid vero? Hocine fas atque æquum, ut delicta juventutis, quorum Deus post seriam pœnitentiam non amplius se meminisse testatur, ad prosciendendam Viri tanti famam tamdiu post funera in medium proferantur? Ut omissis tot atheismi, quibus cheu! historia abundat, exemplis hoc solum adducatur? ut nullum ne levissimum quidem addatur indicium, Junium ab hoc crimine respuisse? Itane Viri humilitas ei fraudi erit? Itane Paullum licet in exemplū adducere *blasphemi* aut *persecutoris*, aut *convitiatoris*, quia se talem ante conversionem fuisse fassus est? (b)

Itane

(b) 1. Tim. I. 13.

Itane Megalandrum LUTHERUM *ὁ δὲ* πα-  
 teretur in medium produci ut exemplar FU-  
 RORIS HYPOCRISEOS aut ZELI SUPER-  
 STITIOSI, quia his criminibus se aliquando  
 non fuisse vacuum ipse agnovit? (c) Ergo-  
 ne AUGUSTINUS jure suo merito inter con-  
 vitia durissima, quibus a Petiliano Dona-  
 tista impetitus erat, numerabat, quod inter an-  
 te actæ vitæ opprobria & Manichæū & Presby-  
 terum fuisse *Manichæorum* ei objiceret? (d) Acce-

Aa 5 dit

(c) Sic legitur Opp. Altenburg. Tom. I. p. m. 9. Für  
 allen dingen bitte ich den Christlichen Leser / und bitte  
 ihn um unser̄s HErrn Jesu Christi willen / daß er mei-  
 ne erste Bücher ganz bedächtlich / und mit groß-  
 sem Mitleiden wolte lesen / und / wissen / daß ich vor die-  
 ser Zeit ein Mönch / und der rechten unsinnigen und  
 rasenden ( für grosser heuchlerischer Andacht und  
 Geistlichkeit ) Papisten einer gewesen bin. Da ich  
 diese Sache (wider das Ablass) anfiinge so voll und trun-  
 cken / ja so gar ersoffen in des Pabstes Lehre / daß ich  
 vor grossen Eyfer bereit wäre gewesen / wenn es in  
 meiner Macht gestanden / zu ermorden / oder hätte ja  
 zum wenigsten Gefalles daran gehabt / und dazu ge-  
 holffen / daß ermordet wären alle die / so den Pabst im  
 geringsten Syllaben nicht hätten wollen unterworffen  
 und gehorsam seyn.

(d) Lege AUGUSTINI contra literas Petiliani librum  
 tertium & præcipue c. 3. 19. 20. &c. Aurea autem  
 præcipue sunt verba, quibus c. I. Antvverp. edit.  
 Tom. IX. p. m. 202. præfatnr: Si ego Tibi vellem pro  
 maledictis maledicta rependere, quid aliud quam duo  
 maledici effemus, ut ii, qui nos legerent, alii detestatos ab-  
 jicerent sana gravitate, alii suaviter haurirent malevo-  
 la

dit quod verba Antagonistæ ita sint concepta, ut non tantum Junium ad bonam mentem unquam rediisse nullo ex iis indicio colligiqueat, sed & contrarii suspicio apud ignaros historiæ necessario oboriatur. Quando enim dicitur, si historiam mundi *diligentius perlegisset*, eum in atheismum nunquam incidisse, quis non inde sibi effingeret hominem propectæ jam ætatis, cui temporum fata atque series jam in enumerato potuerint esse, cum tamen reapse adolescentulus vix ex ephelis fuerit, a quo nihil tale expectari potest? Et quando additur, id *si factum esset*, necessitate eum *adactum fuisse*, ut digitum providentiæ divinæ agnosceret, quis inde non colligeret, miserum Junium ex hoc barathro nunquam eluctasse?

Quod vero ad Melch. *Adamum* provocatur, qui *δεικνύς* ad marginem citatus erat, & apud quem uberius historia Atheismi Junii legi potest, nihil penitus ad rem facit. Ut enim taceam, illiteratos, ad quorum aures hæc criminatio Junii pervenit, facultate *Adamum* consulendi non pollere, quis suspicari poterat, testimonium ejus non tantum  
in

*la voluntate? Ego quando cuiq; vel dicendo vel scribendo respondeo, contumeliosis criminationibus laceffitus, quantum mihi Dominus donat, frenatis atque contritis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorive consulens, non age, ut efficiar homini conviciando superior, sed errorem conviciando salubrior.*

in pejorem, sed etiam in meliorem adduci partem, qui statim additum Exod. VIII. 19. locum conferebat, de *Magis & incantatoribus Aegyptiis* agentem, quibuscum malo omine non tantum confertur, sed iis etiam posthabetur Junius, utpote qui digitum Dei, cui illi victas dedere manus, iudiciis providentiæ divinæ adactus agnoscere, supersederit? Veniam a Lectore petimus, quod hac re tantum chartæ spatium ei surriperimus.  
F. A. L.

BRUNOPOLITANÆ ecclesiae Reformatæ Minister laudatissimus Hermannus Reinholdus PAULI, Francofurti ad Moenum typis exscribendas tradidit Typographo, idq; sermone vernaculo *Concionem Jesu. Christi in monte habitam*, & Matthæi Cap. V. VI. VII. descriptam, sermonibus sacris explanatam, cui accedunt VIII. Conciones catecheticae III. festales ad loca Gal. IV: 19. Rom. VI: 8-11. incl. Eph. V: 18. III. denique aliæ ad loca Ps. CXLIV: 15. 2. Cor. XI: 3. 2. Petr. III: 9. Nundinis instantibus hoc opus prodibit.

GRONINGÆ brevi edetur liber Viri Doctissimi Gerh. OUTHOVII, cujus hic erit titulus: *Judicia Jehovæ Zebaoth, seu Tractatus de variis iudiciis, quibus peragrat cœli Dominus orbem hunc aspectabilem, in quo explicantur, seu illustrantur, ac ex antiquitatibus clarantur varia*

ria obscura tam *Vet. quam Novi Testamenti loca.*  
 Cui tractatui quoque insertum *Carmen Severi*  
*Sancti seu Endeleichi Rhetoris de mortibus boum*  
*cum variis annotationibus.*

DAVENTRIÆ Oratio Viri Celeb. Dionysii Al.  
 ROELLII de *Majestate supremi Numinis*, ha-  
 bita d. 7. Junii 1719. cum fasces Rectoratus  
 in se susciperet, typis est exscripta. Ab eo-  
 dem elapso anno disputatio de *Omnipresen-*  
*tia Dei* est conscripta, quæ adversarium  
 quendam *Davidem Franzum V. D. M.*  
 concitavit, cui hypothesin Gerh. de Vries  
 contra Roëllium denuo asserere adlubuit.

BEROLINI de colloquiis quibusdam eruditiss,  
 circa proximas nundinas Lipsienses forte  
 edendis, consilium cepere Cl. *Barckhusius*,  
 Gymnasii Reformati in Insula Fridericiana  
 Rector & Rev. *Häumannus*, Pastor Luthe-  
 ranus ad St. Gertrudis, in Xenodochio  
 ejusdem insulæ. Primum, ni fallor, erit  
 inter Lutherum & Zwinglium; hos Beza  
 & Carolostadius, dein vero Bellarminus  
 & Taubmannus excipient. Plur. Rev. *de*  
*Beaufobre* volumen mediæ formæ, prælimi-  
 nare ad Historiam Reformationis Germa-  
 niæ, proxime editurus nunciatur. Rev. ejus  
 Filio, Patris ex brevi tempore Collegæ Cl.  
*Barberacius* intactos ab ipso sermones *Tillot-*  
*soni*, Gallice reddendos, tradidit.

HANOVIAE Max. Rev. Vir Fridericus *Grim-*  
*mius*, ecclesiarum Reformatarum Hanovi-  
 ensium

ensium Inspector, & Consistorialis, prelo committere coepit *Exercitationes suas Biblicas*, in quibus secundum ordinem pericoparum Evangelicarum, quas vocant, loca V. T. iis parallela analyticè pertractat, quem quidem laborem iis præcipue, qui se ministerio verbi divini consecraturi sunt, non vulgari futurum esse usui auguramur. Idem sermone vernaculo de *devotione in cultu divino* conscriptum tractatum propediem publici juris faciet. Ejusdem ecclesiæ Hanovienſis Minister Philippus David *Schrædelius*, Historiam *Eucharistiæ* sibi tractandam sumſit; Egregie dubio procul de re sacra meriturus est, si, quæ in hac causa tot viris eximiis *Molinaeo*, *Claudio*, *Albertino*, *Mortono*, *Basnagio*, *Bocharto*, *Hospiniano*, *Hottingeris*, *Larroquanis*, *Abbadio*, *Cramero*, plurimisque aliis prætermiſſa sunt, cum orbe erudito communicaturus est.

ULTRAJECTI amplissimi Proceres docendi publice sacras literas provinciam morte Francisci Burmanni (quam solemniori oratione propediem recensenda Cl. *Drakenburgius* luxit) nuper a nobis annunciata, vacuefactam obtulerunt celeberrimo Heidelbergensium Theologo, & consiliario Archi-Palatino ecclesiastico J. Christ. *Kirchmeiero*. Sed nondum pollicitus est se eam stationem, amplexurum, cujus quidem moræ causa facile divinabit, qui turbulentus eheu! ecclesia-

clesiarum Palatarum status haud ignotus est. Neque Verbi divini ministerium, quod in ecclesia Goudana obeundum habet Cl. Bernhardinus de *Moor*, sibi permutandum esse cum extraordinaria Theologiae in hac Academia professione, sibi oblatâ, credit. Elegans distichon, quod memoriae Fratris sui consecratum nummo argenteo insculpi curavit celeberrimus Petrus BURMANNUS, Francisci Frater, hoc est,

*Doctrinis æquans Avo, pietate Parenti,  
Nec meritis, ævi sed brevitate minor.*

Cl. *Millius* de commutatione vestium utriusque sexus prohibita Deut. XXII:5. dissertt. par edidit. Cl. Virum Joh. *Ens*, Theologiae Professore Lingensem, commentario suo in caput Es. XI. & XII Belgico, & libro Latino de Canone librorum N. Testamenti, notum, muneri ecclesiastico, in hac urbe, ad quod vocatus est, se mox addicturum, spes est.

GOTTINGAE celeberrimus merito suo ejus Gymnasii Inspector C. A. *Heumannus* prelo parat singularem *Lactantii* librum, *symposium* dictum, notis suis illustratum. Miraris vero librum illum, cujus quidem olim Hieronymus in Cat. S. E. cap. 80. meminit, quem vero eruditi adhuc videre frustra desiderarunt, nunc demum editum iri, & ex quibus latebris ille erutus sit, percontaris? At vero semper liber ille in multorum

torum versatus est manibus, sed cum ridiculo errore libri titulus corruptus esset, à nemine est agnitus. Nimirum in mentem venit, qua singulari ἀγχινοία est, HEUMMUNO, Centum illa ænigmata, quæ sub nomine *Cæli Firmiani SYMPOSII* aliquoties sunt edita, & cum à Nicolao Causino Hori Apollinis Hieroglyphicis, tum ab aliis Phædri fabulis, Josephi Castalionis notis illustrata aliquoties fuere annexa, ut & a Nicolao Reusnero Aenigmatographiæ suæ inserta, constituere illud *Cæli Firmiani LACTANTII SYMPOSIUM* quod admodum adolescentulum in scholis Africæ scripsisse testatur Hieronymus. Quæ conjectura si vera est, veram autem esse, parum abest, quin mihi persuadeam, libro illi accidit, quod aliis quoque libris, v. gr. vulgaribus illis de moribus distichis, de re culinaria libris, ac Satyrico illi famoso, accidisse valde fit verosimile, quibus cum titulus præfixus esset *Catonis, Apicii, Petronii*, quod res tractarent, in quibus olim hujus nominis Viri excellere, deinde his Viris, tanquam auctoribus, tributi sunt. Ceterum error ille de Symposio haud recens est, cum jam invaluisse videatur temporibus Sigeberti Gemblacensis, sæculi undecimi scriptoris, qui *Adelimum Episcopum* dicit *imitatum Symphrosium*, qui scripserit *metricè librum ænigmatum*

sum, in quo unusquisque nostrum Sympo-  
sium, si DIS placet, deprehendit. T. d. H.  
LUGDUNI BATAVORUM, doctissimus  
Vir, Jacobus, ELSNERUS Regiomonto-  
Borussus dissertationem vulgavit de lege  
*Mosis per Angelos data ad illustranda com-  
mata Act. VII: 38. & 53. Gal. III: 9. Hebr.  
II: 2. 3. & XII: 25.* qua recensitis aliorum  
sententiis legem Mosis per Angelos coele-  
stes, nomine atque verbis Filii Dei, illustri  
modo presentis, promulgatam esse de-  
monstrare conatus est. Ejusdem observa-  
tiones sacrae Ultrajecti Jacobi Poolsum pre-  
la exercent. Prodiit quoque liber festivus,  
cui titulus, *Doctrina & honos Wilhelmi  
Deurhofii &c. sive De Leere en de Eere van  
myn Heer Willem DEURHOFF verdediget  
tegens alle soort van Domines, Predikanten,  
vermaners, kranckbezækers &c.* Continet  
ille colloquium quoddam suavissimum in-  
ter Virum quendam Aletophilum Veridi-  
cum & matronam quandam Deurhofia-  
nam, quo tacite philosophicæ hypotheses  
Deurhofii false perstringuntur, mirumque  
in modum confunduntur. Non desunt,  
qui Auctorem libri esse *Ἰουμαναεστην* Cl. Fr.  
*Burm annum* suspicantur.

Inter membra ecclesiæ afflictæ reliquiæ  
ejus in GALLIA adhuc dum numerandæ sunt.  
Novellæ publicæ elapsa æstate persecutionis  
æstum provinciam præcipue Pictavorum, per-  
vasisse,

vasisse, narrarant. Cum enim illic residui  
 sint, qui contra edicta magistratus in cœtus sa-  
 crorum causa coire non vereantur, carceris  
 poena quamplurimi sunt coërciti. Inter eos  
 laudatur *Binetus* quidam, contra quem pro-  
 ducti testes, & quidem, ut perhibetur, falsi,  
 qui testati sunt, se audivisse dicentem: *Ne  
 despondeatis animum, Fratres, Deus nobis hanc in-  
 dulgebit gratiam, ut hostium nostrorum sanguine  
 calcem maceremus, quo templum nostrum restaurabimus.*  
 Hoc testimonio nixus *Advocatus Regius* ad  
 suspendium *Confessorem* condemnandum  
 duxit. *Authoritas* ejus *Satrapam* provinciae,  
 quamvis & reo faveret, & manus suas se-  
 cum *Pilato* lavaturum declararet, ad signan-  
 dam mortis sententiam contra *Binetum* coë-  
 git, qui divina gratia subnixus egregium pie-  
 tatis ac constantiae exemplum in morte dedit.  
 Cum ei nunciaretur, cujus criminis postula-  
 retur, regeffit: *Cur non contra me testes falsi  
 insurgerent, miserum peccatorem, cum insons  
 Servator meus ab iis immunis non fuerit?* Addi-  
 dit egregiam ad socios in carcere parænesin  
 & ardentes preces, in quo sanctissimo exer-  
 citio toto triduo, inter publicationem sen-  
 tentiae ac diem mortis elapso, cum singulari  
 fervore perrexit. Dies erat *Non. Quintilis*,  
 cum ex carcere ad mortem deduceretur.  
 Quod antequam fieret denuo sermones pios  
 precesque cum fratribus fudit, & osculo tum  
 illis, tum uxori quam gravidam cum duobus

liberis reliquit, dato, vehiculum lætus conscendit, identidem Deum celebrans, & ad circumfusam multitudinem innocentiam à prætexta mortis causa declarans: quod tamen a se proferri, non ut mortem effugeret, sed ut veritati testimonium perhiberet. Pro concione quidem se sæpiusculè verba fecisse fatebatur, sed sermones suos omnes publice se exhibiturum & rationem earum redditurum in se suscipiebat. In ipsa patibuli scala Psalmum LI. decinebat, quem tamen nondum absolverat, cum a carnifice fauces ei frangerentur. Spectaculum hoc ipsis Pontificiis tam indignum visum est, ut odium suum contra auctorem necis non tantum verbis, sed & profusis largiter lacrymis contestati sint. Unicum præterea templum, quod in tota Gallia Reformatis restabat quodq; ab iis Arausione anno præcedentis sæculi ultimo, exstructum erat, nunc quoque iis ademptum, & ab Episcopo loci Romanorum sacris consecratum est.

ROTTERODAMI Johannes *Janssonius*, Ecclesiastes edidit librum, cui titulus: *Heilige Uitspanningen om den geest te verlustigen*; in illis animadversiones in quædam S. Scripturæ loca exhibet, petitas ut plurimum ex philologia & antiquitate sacra; v. gr. de arbore Paradisi, de bello Giganteo, de voto Jephtæ; de historia Jobi, de Dionysio Act. XVII: 34. memorato, de *σχορπιω* Luc. XI:

XI: 12. de formula illa Joh. XXI: 25. de Venefica Endorea; similibusque. Roter. 1720. in 4. 47. phil.

AMSTELODAMI prodiit Bernardi Nieuwentyt (de quo vide Cl. II. p. 356. 357.) tractatus postumus quantivis pretii, sub titulo; *Fundamenta certitudinis; sive Gronden van Zekerheyd, of de regte betoogwyze der wiskundigen soo in het denckbeeldige als in het zakelyke ter wederlegging van Spinosas denckbeeldig samenstel.* Amst. 1720. in 4. pagg. 458. absque praefatione, quæ continet prolegomena, quam conscripsit Jacobus van Ostade. V. D. M. Goudanus.

GENEVAE, Cl. Theologus Joh. Alphonfus TURRETINUS edidit dissertationem, cui titulus. *Nubes testium pro moderato & pacifico de rebus Theologicis judicio, & instituenda inter Protestantes concordia.* 4. Inscripta ea est illustrissimo Cantuariensium Archi-episcopo atque ab omnibus, qui, quod Christianos decet, pacis ecclesiasticæ studio tenentur, cum summa voluptate legetur, non minus ac altera Diss. quam vocat *Brevem & pacificam de Articulis fundamentalibus disquisitionem, qua ad Protestantium concordiam, mutuaque tolerantiam via sternitur.* in 4.

AMSTELODAMI Paschasium Quesnellum, Oratorii Parisiensis quondam presbyterum post. Kal. Dec. a. MDCCXIX. cum in terris vixisset A. LXXXV. M. IV. D. XVIII.

rebus humanis ereptum, exuviis ejus *Wav-*  
*mondi*, qui exiguus pagus est non procul  
 Lugduno Batavorum & 7. leucis Amstelo-  
 damo distans, terræ mandatis ad latus no-  
 ti illius Archiepiscopi Sebasteni, & vicarii  
 ut ajunt, per Belgium Apostolici, Petri  
*Coddei*, relationes publicæ docuerunt. Id  
 autem nunc agi in aula Romana, ut in nu-  
 merum Sanctorum cooptetur, de eo ne  
*ypv* quidem in illis lectum est.



IX.

Eximio Dei viro

**JOHANNI JACOBO  
 GRYNEO,  
 THEOLOGO.**

**N**ihil habeo, vir Dei Eximie, quo offi-  
 cium literarum tam diu omissum ex-  
 cusem : itaque culpam fateor, &  
 deprecor, certa cum Spe Veniæ  
 ab insigni tua & omnibus, quibus  
 notus es, nota humanitate impetrandæ.  
 Quid enim juvat culpam excusando aggrava-  
 re ? At quod omissum hactenus, non com-  
 mit.

mittam, ut omittatur in posterum, ne in idem crimen recidam, cujus culpam jam deprecor. Utinam mihi liceret, ut aliquando licuit, tibi adesse, & præsentem ex tuo ore sciscitari, quæ ignorantibus scrupulum faciunt non exiguum. Confusio opinionum & hæresium apud nos est incredibilis, nihil tam certum olim quod non in dubium vocetur, nihil tam sanctum, quod à blasphemiâ immune. Quid dicam? Omnes omnia sciunt, nemo quidpiam ignorat, inde asseverandi quidlibet audacia intolerabilis, & tamen toleranda, quia tolli nullo pacto posse videtur, Hæc mihi cogitanti dolorem faciunt immedicabilem, quem auget supina nostrorum penè omnium incuria & negligentia in quærendis remediis, imò & nonnullorum ex nostris! similis asseverandi & dicendi quidvis, coram quovis confidentia. Religiosius sanè præci illi patres sacra tractarunt, quàm nos facimus nec non illi nos superant, quos pontificios appellamus, sacrorum reverentiâ. Quæ enim apud illos in scholis disputari solent (non dico quam benè) ea apud nos omnibus promiscuè exponuntur, & sæpè nullâ cum prudentiâ nullâque habitâ auditorum ratione. Apostolus lac præbebat infantibus adultioribus solidum cibum, ille aliter loquebatur carnalibus, aliter spiritualibus. Utinam & nos omnes prudentiam ipsius in divinorum mysteriorum dispen-

fatione imitemur. De prædestinatione, peccato originis, libero arbitrio multæ & magnæ sunt concertationes, ex quibus verum fateor, ipse me extricare nondum possum. Lego, inquirō, scrutor scripturas, & eos, quibus donum interpretandi divinâ benignitate concessum, preces ad Deum misceo, & tamen hæreo : quæ res facit, ut existimem multa in iis esse obscura, nec ad salutem scitu omnibus necessaria. Et hoc unico me consolor, quòd dū fundamenta teneo, cum periculo salutis errare non possum, nec aliis author aut causa erroris esse. Credo in unico Christo salutem nostram positam, hujus nos merâ gratiâ per Spiritus Sancti efficaciam fide participes fieri ad remissionem peccatorum & vitæ renovationem. Velim tamen viri Charissime, nisi molestum tibi sit, disputationem aliquam abs te institui super his articulis, quos dixi. Video enim nostros discrepare in hisce : aliqui enim prædestinationis subjectum adæquatū ponunt hominem, non tamen nondum lapsum, sed ne creatum quidem, alii creatum, sed nondum lapsum : alii lapsum & obnoxium condemnationi. De peccato originis video modos propagationis controversi, ipsam etiam peccati totius definitionem, addo & de ordine duorum, quæ in peccato isto considerantur disputari, reatus ne, an corruptio naturâ prior sit in nobis, nec ne. Adversarii nostri, quos hic habemus plurimos totum peccatum originis negant,

gant, & hæc omnia ad ejus positionem necessaria probatu dicunt. Adamum dona supernaturalia à Deo accepisse, eaque non sibi tantum, sed & posteris: ea peccando sibi perdidisse, perdidisse eadem & posteris: in horum locum successisse contrarias qualitates, aut saltem ad contraria vitia inclinationem & propensionem, Adamum peccando mortem æternam sibi & posteris meritum esse: hæc omnia probanda esse dicunt, & singula negant. In liberi arbitrii negotio non minores occurrunt difficultates, quantum nempe illud in homine non regenito possit, merè ne passivum sit, an & activum in conversione, si passivum, qualis ista passio, an cum dispositione ad patiendum, an sine ullâ dispositione; item si activum qualis actio? præveniensne, an subsequens, an simul operans & collateralis. Hæc & alia apud nos vehementer & non sine animis agitantur, Tu, si integrum tibi est, iustruere nos potes tuâ eruditione. Alia habeo, & non pauca de quibus per occasionem tecum conferam, hæc nunc satis sunt. Ignosce, vir Magne, scribendi libertati, imò licentiæ, quod ipsum non peto, quia dubitem de tua facilitate, sed quia mos est id precari. Hunc juvenem commendatum tibi habe, & studia ejus, quantum necesse videris, promove, nam & illius opera aliquando nostræ patriæ utilis esse poterit, & Dei Ecclesiæ, Vale,

Vir Dei Eximie & me ama. Dominus Jesus  
te nobis & Ecclesiæ suæ, quàm diu supersti-  
tem esse velit, ad nominis sui gloriam. Am-  
sterodami 15. Kal. Apr. (a) 1591. stilo novo.

T. R.

Deditissimus Jacobus  
Arminius.

Inscriptio hæc erat,  
Eximio Dei Viro Johanni Jacobo Gry-  
næo, Verè Theologo, Præcepto-  
ri mihi debitâ Reverentiâ Colen-  
do ; Basileæ.

(a) Ex commemorabilî hæc, atque ineditâ, quantum  
scimus, Arminii Epistola patet, cum diu ante-  
quam res in nervum erupit, de gravissimis Theolo-  
giæ capitibus fluctuasse, illorumque errorum, quos  
deinde defendit, semina, juvenem adhuc, tam  
enim erat annorum *ωσε* triginta, adeoque vel per  
duodecim annos priusquam ad Cathedram Lugdu-  
nensem vocaretur, pectore condita fovisse.

Urpheda (a)

D. CHRISTOPHORI  
GUNDERMANNI,

Pastoris ecclesiae Thomanæ  
Lipsiensis.

**I**ch Christophorus Gundermann, D. S. Theol. bekenne mit dieser meiner Handschrift, daß ich eine zeitlang allhier zu Leipzig öffentlich gelehret und geprediget, aber beydes GOTT und sein heylsames Wort, und mein Gewissen, mit solch meiner Lehre und Predigt verletzt, auch die liebe Jugend heftig dadurch geärgert, welches mir dann hertzlich leyd ist, wäre auch würdig und werth, daß ich von der hohen Obrigkeit vom Leben zum Tode gebracht würde. Weil ich aber sonderliche  
Gna-

(a) Hujus mentionem facit Godofredus Arnoldus in hist. eccl. & hæret. P. II. L. XVI, c. 32. §. 24. 28. & 30 Cum autem neq; Arnoldus neque quisquam alius eam exhibuerit, locum illi hæc concedere voluimus, in gratiam eorum præcipue, qui historiam Crypto-Calvinismi, ut vocant, se conscripturos promiserunt.

Gnade erlanget, als gerede ich und gelobe hiermit, daß ich die Zeit meines Lebens auf keine Canzel kommen, oder dieselbe mit meinen Füßen betreten will. Hiebeneben zum andern gelobe ich, daß ich wider die Heil. Schrift, die Augspurgische Confession, und Formulam Concordiæ die Zeit meines Lebens nichts schreiben, auch das Gefängniß, mit welchem ich wegen meiner Mißhandlung behaftt gewesen, in Ewigkeit nicht gedennen will. Im Fall der Puncten einer von mir nicht möchte gehalten werden, will ich mich nachmals vom Leben zum Tode verurtheilet haben. Lipsiæ

1592.

Ad fugam vacui,

Ulricus Huttenus, in epistola ad  
Hermannum

*Nuenariae Comitem.*

In Cl. Hardtii historia Literaria Re-  
formationis

T. II. pag. 145.

**Q**uid superbius, quid indomitum ma-  
gis hoc hominum genere? Quo  
naso, quibus superciliis, qua fron-  
te, quibus lateribus in uniuscujus-  
que existimationem debacchan-  
tur? Quorum de numero est apud Franco-  
furdium PETRUS MEYER, indoctissimus  
puto omnium, qui Capnioni invident, audax  
tamen, & insigniter petulans. Ita nullum  
apud rudem populum sermonem habet ver-  
bero, quem non aliquo perversitatis suæ ve-  
neno condiverit. Ita nihil citra invidiam lo-  
quitur. Ita in bonos omnes obliquus sem-  
per est. Et in Capnionem quæ dii boni ma-  
ledicta, quam frequenter jaculatur? Qua in  
optimum virum spurcicia degrassatur. Quam-  
quam hoc illi non feliciter admodum cedit.  
Qui dum aliis studet apud infimam plebem in-  
vidiam conciliare, ipse se apud optimates in  
peri-

periculosum jam pene odium congerit. Hanc faciem si videres, ipsam te invidiam videre diceres. Adeo hominis mores in corporis quoque lineamentis natura expressit. Simile quiddam Scorpionibus habet adspectus. Nam ut illorum cauda ad ictum semper est parata, ita hujus concionatorculi oris species omni momento, ad omnemque occursum ostendit jamjam aliquid hominem mali cogitare, aliquid meditari maledictum, aliquas struere insidias, aliquam fraudem neçtere. In summum aliquam coquere invidiam. Ita me amet Christus, ut ominosum mihi hujus nebulo-  
nis fortuitum omnem occursum esse arbitror. Atque igitur, quoquo iturum præscivero, statim inde diverto. Proscidit me non semel in sermonibus, neque id obscure. Tales nunc habet Germania apostolos, tales evangelii præcones, ferendos illos quidem, vitia hominum quatenus benigne arguebant. Nunc cum omnia sibi licere putent, & ex libidine, cui cui volunt, maledicant, nullo religionis Zelo, nulla pietatis recordatione evangelium prædicent, pro divino verbo convitia seminant, in publico sacro privatam injuriam ulciscantur, imo injuriam inferant, ac innocentibus discrimen obiciant, cum hæc omnia superbe, crudeliter, immodice, ac insolenter faciant, quid obstabit &c. *Et reliqua.*

FINIS.